







*Jehova Gratia Aspirante!*

*F. O. num. 22.*

DISSSERTATIONEM  
HANC JURIDICAM

*1699, 12<sup>a</sup>*

*De*

EXPECTATI-  
VIS FEVDO-  
RUM,

*17*

*Indultus ac permissis*

Magnifici & Nobilissimi Jctorum Ordinis in-  
famigeratissimâ ad Salam Academiâ,  
DIRECTORE

*Viro Amplissimo, Consultissimo atq; Excellentissimo*

Dn. ERASMO UNGEPPAUR,

Jcto & Antecessore celeberrimo, Consiliario  
Saxonico spectatissimo, Facultatis Juridicæ Seniore meritis-  
simo, Dicasterii Provincialis & Scabinatus Assessore gravis-  
simo, Præceptore, Fautore atq; Promotore suo omni hono-  
ris & reverentiæ cultu ætatem prosequendo,

*Publicæ eruditorum censura placidè submittes*

JOHANNES GEORGIUS *Arxer*/ Dresdâ-Misnicus

*ad d. Augusti*

in Auditorio Jctorum.

A. O. R. clō Ibc xxxix.

JENÆ, IMPRIMEBAT JOH. CHRISTOPH. WEIßNER



*16*



DISSERTATIONEM

HAEC JURIDICAM

EXPERIMENTA

IN

RE

RE

RE

RE

RE

RE


RE

RE

RE

RE

RE





P R Æ F A M E N

**N**os equidem supervacuis laborare impendiis, jubar meridianum qui certant facibus illustrare, quotusquisq; *ex c. si omnia c. q. i. ignorat?* Operam profectò & ego perderem, si materiæ hujusce utilitatem, pari conjunctam cum difficultate, multis verborum lenociniis commendatam reddere studerem, cum largo semetipsam fœnore ostendat, & nativo suo fulgore omnium oculorum aciem perstringat. Eò igitur annitar potius, ut imitamine sacratissimi Imp. Justiniani, non Gregorii IX. aut compilatoris Decretalium, **IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI** ad rem ipsam me accingam. Sic itaque

THESIS I.

*Expectativarum inspectio vel est Externa, vel Interna.*

Quarum Illa circa definitum seu vocem: Hæc circa definitionem seu rem ipsam est occupata.

II.

*Externa vel est Notationis, vel Significationis.*

III.

*Notatio declarat, unde Expectativa dicatur.*

Nimirum *ab expectando*: quia ob conditionem, quæ in futurum tempus actum suspendere solet, §. 4. 7. *de V. Obl. l. 213. de V. S.* eum cui concessa est, casum aperturæ expectare jubet, monet. *Der Man/ dem die Antwartung auff ein Gut zugesagt/ muß die Zeit erwarten/ do das Lehn dem Herrn ledig beimfåle/ text. in c. 55. LehnR. vers. ult.* Quanquã verò præsens *Expectativa* vox nova & in Romano cœlo inaudita vendi-

1.

2.

A 2

d etur

16





detur à plurimis, ab iis præcipuè, quibus apices quosvis minutissimos notà perstringere censorià solenne est: Attamen sufficiat mihi, ipsà consuetudine ac usu communi, penes quem, ut ait Poeta Venusinus *in arte Poet.*

— arbitrium est, & vis ac norma loquendi, passim esse receptam atq; approbatam. Scil. sensum ipsum, non vana nominum vocabula amplecti desidero, juxta monitum Jcti Pauli in *l. pen. ad Exhib. l. 41. §. 1. de jur. dot. l. pen. §. pen. C. de const. pec.* Neq; enim ignoro, quod docet Feudista in *tit. 24. vers. prædictis modis 2. F.* naturam imprimendorum novorum nominum perquam esse cupidam, quo respexisse videtur prælaudatus Poeta, quando modulatur;

Ut sylvæ foliis pronos mutantur in annos,

Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,

Et juvenum ritu florent modo nata vigentque.

3. Eos tamen cespitare politioris literaturæ Antesignanis facile concedo, qui pro *Expectativa Expectativam* scribere malunt, propterea quod à præpositione *EX* & verbo *SPECTO* hocce derivatum est vocabulum. Etenim & soni suavitas contrarium efflagitat, & manifesta hoc satis refellit ratio, quæ consonantem geminari prohibet, aliâ antecedente consonante. Geminaretur autem post consonantem *S*, antecedente *X*, utpote quæ loco *C* & *S* fungi perhibetur, ceu quidem Philologorum Princeps Matth. Martini in suo *Lexico Philolog. in verb. EX* literis consignatum reliquit,

IV.

*Significatio est vel Homonymia, vel Synonymia.*

V.

*Homonymia diversa: Expectativarum genera delineat.*

1. Sumitur autem I. pro re feudali, seu pago & prædio in Expectativam concessio, *arg. tit. 22. vers. si vero tit. 26. §. inter filium 2. F.* II. Pro actu vel contractu, per quem jus in re feudali sub spe caducitatis constituitur, *arg. tit. 28. l. 1. F. tit. 3. §.*



§. sed etiam 2. F. III. Denotat ipsū à futurā spe dependens jus, 3.  
in re feudali à milite possessā, constitutum *tit. 25. l. F. tit. 1. 2.*  
F. & hanc acceptionem meæ disputationis objectum esse, ex  
dicendis fusiūs apparebit.

VI.

*Synonymia varias Expectativarum  
appellationes subministrat.*

Vocatur à Zabelio *Superinfudatio*, eò, quod dominus 1.  
priori Vasallo alterum quasi superaddat, & de eodem feudo  
investiat *Exerc. Feud. 5. lb. 3. l. A.* à Berlichio, *Investitura in* 2.  
*casū mortis, part. 2. Concl. Pract. 54. n. 1. & 2.* Item à Matth.  
de Affict. *de successione caducitate: tit. qui succ. feud. dar.*  
*ten. n. 3.* Jure Sax. *Lehn R. c. 7. & 57.* nuncupatur ein *Geding*/  
à conditione videlicet, quæ plerumq; in mortis eventum  
concessioni inseri assolet. *Hartm. Pistor. quest. jur. 25. lib. 2.* 3.  
*part. 2.* Item ein *Gnadenlehn*/ ex eā, ni fallor, ratione, quo-  
niam Principes ut plurimum hujusce farinæ collationibus  
mactant benè meritos, quanquam hodiè elanguescere & fri-  
gere ille ardor videatur, & paucos tanto dignentur munere  
Divi, ne quidem illos.

— — quos æquus amavit

Jupiter, aut ardens exivit ad æthera virtus.

Communiter etiam à Dd. appellari video ein *Expectantz/* 4.  
*Angefäll/ Anwartschaft/ Anwartsung eines noch unverledigten*  
*Lehns / Thoming. Consil. 2. n. 35. & seqq. Vult. lib. 1. de feud.*  
*c. 7. n. 48. Besold. thesaur. pract. lit. G. verb. Bedinge. Wehn.*  
*Observ. Practic. lit. A. verb. Anwartsung. Guilhelm. Antonius*  
*Freundeberg in coroll. 2. ex jur. feud. desumpt. aureo suo de*  
*Rescript. morat. libello in fin. annex. sect. 3.*

VII.

*Interna agit de Expectativarum con-*  
*stitutione, & illarum dissolutione.*

IX.

*Constitutio perpendenda venit vel con-*  
*fuse, vel enodate. A 3 IX.*



*Confusè in definitione & divisione.**Definitio quid sit Expectativa declarat.*

- De hâc certè apud Dd. qui materiam hanc singularem parcissimâ aliàs exhibuerunt manu, altum reperio silentium;
1. non incommodè tamen extrui poterit talis: *Expectativa, est jus in feudo ab alio possesso, ex precedente justâ causâ alicui, sine possessoris consensu, à Domino collatum, in eventum caducitatis, fidei & obsequii gratiâ, commoditatem utendi fruendi impertiens.* Generis loco jus colloco. Hoc namq; proximū esse, cū penitè mihi persuasū hæreat, remoto in aliū locū reservato, meæ definitioni adhibendū existimo, maximè quod eo essentiâ rei apprimè declarari & exprimi videre liceat. Dico *in feudo ab alio possesso*, quo ipso Expectativâ necessariò feudi præsupponere legitimâ cōstitutionem, ex quâ demum ad hujus progredi concessionem possit, docere volo. Quippe necessarium est, materiam feudi habilem præire, unde superinfederationem seu Expectativam, ejusq; concessionem formare & ritè subsumere queas.
  2. Subjungo verba, *ex precedente justâ causâ*, ut sine hâc juxta ac titulo ad transferendum dominium habili Expectativam acquiri haud posse, arg. l. 3. in pr. de usufr. l. 31. in pr. de A. R. D. demonstrarem. Adde præterea *sine possessoris consensu*, respiciens ad tit. 26. §. moribus 2. F. ibi: *in tali investitura, consensus ejus, de cujus feudo fit, exquiri non oportet.* Item tit. 35. 2. F. ibi: *investitura valebit, etiam sine voluntate vasalli.* Cum quibus amicè conspirat text. juris Sax. c. 10. in pr. Lehnd. *Etliche Leute sagen/ daß man kein Beding jemand leihen möge/ man bitte denn den darumb/ der das Gut in Gewähren hat/ das ist doch nicht.* Ratio, cur hæc concessio sine consensu possessoris, (quem nostrâ vernaculâ einen Außgebetenē vocamus,) valeat, hæc cum Magnifico Dn. Finkelthuisio in *diff. feud. 7.*



ib. 10. lit. C. dari poterit, quòd ex hujusmodi investiturâ nul-  
lum ipsi vasallo possessori inferatur detrimentum. Ubi ubi  
verò alterius jus non minuitur, ibi consensus ejus non est ex-  
quirendus, l. 8. de aq. & aq. pl. arc. Elegans hanc in rem præ-  
judicium à Scabinatu Lipsiensi in causâ *Heinrich Wolrad*  
*von Verbisdorff* An. 1630. mense Junio dictatum, affert Carp-  
zov. in *Jurisp. Forens. Rom. Sax. part. 2. Const. 45. decis. 1.* Tan-  
dem subjicio à *Domino*, ut Expectativas conferendi licenti-  
am, non nisi rerum suarum moderatoribus, vel quibus hi poi-  
testatem fecerint, competere innuam. Cætera in definitione  
adposita verba, cum in subsequenti uberiore calamo ex-  
plicare stet sententia, ut longiore verborum luce illustrem, à  
me impetrare non potui, ne unâ fideiâ duos dealbare parie-  
tes viderer.

XI.

*Divisio diversas Expectativarum  
Species enumerat.*

XII.

*Eaq; desumitur I. à causâ efficiente.*

Cujus respectu Expectativa in *Nobilem & Ignobilem*  
seu *Plebejam* dividi potest, arg. tit. 10. 2. F. *Nobilis* est, quæ  
ab eo, qui potestatem & voluntatem nobilitandi habet, con-  
ceditur. Magn. atq; Nobil. Dn. Arum. p. m. Præceptor meus  
post fata etiam colendissimus. *Disp. feud. 2. th. 46. Vult. lib. 1.  
c. 8. n. 9. de feud. Niell. disp. feud. 1. th. 7. lit. C.* Et hæc rursus  
distribuitur in *Regalem & non Regalem*. Illa dicitur, quæ  
supremâ Principis autoritate, cum annexâ dignitate regali  
confertur, tit. 14. in pr. 1. F. Germani vocant eine *Anwart-*  
*schaft auff ein Fahnlehn/ darumb daß Kayserl. Majestet den*  
*weltlichen Fürsten solche Lehn mit Fahnen leihet/ Schneid. in*  
*epi. feud. part. 1. n. 30. Hac, quæ regalis dignitatis expers est,*  
nuncupatur, tit. 10. vers. *qui verò à Principe. 2. F. Ignobilis*  
seu *Plebeja* est, quæ datur ab eo, qui nobilitandi præditus  
est facultate, nec tamen eandem cupit exercere, vel qui eadem

pe



potestate caret, sed nihilominus Expectativam concedit.  
Magnif. Dn. Arum. p. m. alleg. loc.

XIII.

## II. A Materia.

1. Quæ in *Ecclesiasticam* & *Secularem* dispertitur. *Ecclesiasticam* voco, quæ in re Ecclesiasticâ, tit. 6. in pr. 1. F. junct. N. 7. c. 3. & 120. c. 1. *Secularem*, quæ in re prophanâ constituitur, tit. 35. 2. F. junct. c. 6. extra de for. comp. Quamquam per quandam abusionem & illa Ecclesiastica audiri queat, quæ Ecclesiæ data est, & consistit in re seculari, per tit. 40. S. fin. 2. F.
- 2.

XIV.

## III. A Subjecto.

- Intuitu cujus in *Masculinam* & *Fœmininam* abitur.
1. *Masculinam* nomino, cujus acquirens masculus, tit. 17. 2. F.
  2. *Fœmininam*, cujus radix fœmina perhibetur, tit. 30. 2. F.

XV.

## IV. Ab Adjunctis.

1. Et I. In *Propriam* & *Impropriam* distinguitur. *Propria* est, quæ habet propriam feudi naturam, seu, ut loqui amant Feudistæ, quæ communem feudi rationem obtinet, tit. 2. S. fin. 2. F. die zu rechter Lehnenschaft / zu rechten Lehn / nach Lehnenschaft Weise / oder wie Lehnrecht Art und Eigenschaft ist / gegeben wird / Schneid. p. 1. n. 35. *Impropria* è diverso, So der rechten Lehngüter Eigenschaft nicht hat / Schneid. d. l. n. 37.
2. II. In *Certam* & *Incertam*. *Certa* describitur, quod sit, quâdo in casum certi alicujus Vasalli sine liberis masculis decedentis, de certo prædio quis investitur, eandemq; Jus Feudale Saxonicum in c. 7. ein benant Geding / & c. 55. Anwartsung an eines benanten Mannes Gut appellat, vid. Excell. atq; Consult. Dn. Jerem. Reuss. Patronus & Præceptor meus omni honoris cultu maectandus disp. feud. 5. tb. 43. *Incerta* contra, quando concessio est vaga, nec ad certum aliquod feudi aut possessoris individuum est directâ, quæ in alleg. c. 7. Ein
- 3.
- 4.



Ein Zerreihn/Ein irre vnd ungewiß Gedinge/c. 55. item An-  
wartung an eines vbenandten Mannes Gut nominatur.  
Gloss. in c. 7. eandem describens, his utitur verbis: Zere-  
lehn ist nichts anders / dann daß man einem in der irre leihet/  
also/ daß er nicht eigentlich wissen mag/ wozu er sich halten soll/  
Als ob ich spräch: Ich leihe dir das Gut / daß mir ledig wird/  
oder an mich stirbt/ es sey viel oder wenig.

XVI.

*Enodatè, in definitionis explicatione per  
Causas & Effectum.*

XVII.

*Causa vel sunt Externa vel Interna.*

XIX.

*Externa sunt Efficiens & Finis.*

XIX.

*Efficiens est vel Remota, vel Propinqua.*

XX.

*Efficiens remota est Jus, quod Expecta-  
tivas introduxit & approbavit.*

Indubiè hoc erit Jus Feudale consuetudinarium, quod à  
Longobardis primitùs introductum, postmodum successu  
temporis Constitutionibus quibusdam tum Imp. tum Ponti-  
ficum, nec non responsis prudentum latiùs enucleatum, sicq;  
multorum populorum consensu non in imperio tantum Ro-  
mano Germanico, verum etià reliquâ Europâ universâ ma-  
ximam sui partem receptum, & jus qf. commune effectum  
esse, tradit Gottofred. Anton. *disp. feud. 1. lb. 1. Fachin. lib. 7.*  
*controv. 1. Sedes Expectativarum principalis offenditur in tit.*  
*26. vers. moribus 2. F. ubi Feudista scribit: Moribus receptum*  
*est, dominum de feudo militis sui, quod post mortem ipsius ad do-*  
*minum reverti sperabatur, in alium militem investituram facere*  
*posse. Cui se ad sociat tit. 3. lib. 1. F. & tit. 35. 2. F. ibi: Ubi verò*  
*de alterius feudo fecerit investituram purè, non valeat, sed si sub*

B

tem-



tempore vel conditione, quo feudum sibi aperiatur, valebit investitum, etiam sine voluntate vasalli facta. Concordat quoque Jus Sax. in c. 5. LehnR. ubi hæc leguntur verba: Zweyen Maßen mag der Herr ein Gut leihen, also, daß einer die Gewehr daran habe, vnd der andere das Bedinge, als ob dieser ohn Lehns Erbē stürbe, der das Gut in Gewehr hat. Rationes verò, quibus Nomothetæ ad Expectatarum approbationem permoti fuere, subsequentes si tradidero, ab ipsâ, quod dicitur januâ, haud aberravero. Sit itaq; I. Quilibet rei suæ moderator est & arbiter l. 21. C. mandat. nihil proinde tam conveniens est naturali æquitati, quam domini voluntatem feudum ad alterum sub conditione transferre volentis, ratam habere arg. §. 40. I. de rer. divis. II. Quod uni prodest, & alteri non nocet, cuilibet facere jure permissum est, l. 1. §. 11. de aq. & aq. plu. arc. Licet bit itaq; Domino superaddere vasallum vasallo, sub cõditione scil. si ille moriatur, maximè, cum possessori nullum detrimentum contingere debeat, per tit. 26. §. si quis 1. F. Domino verò magnum incrementum accedere possit, cujus interest, plures habere fideles, & feudorum sibi apertorum certos statim fideiq; exploratæ possessores. III. Jus Ususfructus, quod propediem ad proprietatem reverti speratur, à domino in alium citra obstaculum potest transferri l. 63. de usufruct. Quidni igitur & jus feudi, quod de natura ususfructus non minimùm participat tit. 25. 2. F. alteri hæc ratione cedi poterit? Quibus IV. adjungenda venit l. 3. C. de donat. ex quâ, spem juris proprii nobis competuri, plenâ manu alteri donare licere, manifestò apparet. Atqui hoc in casu dominus feudi nõ rei alienæ, sed propriæ ad se reversuræ spem in alium cupit transmittere. Quo minus ergò hoc possit, nemo prohibebit. **+** Caterùm, quamvis hæc omnia ita sese habeant, veritatisque amatori oppidò plana evadant, numerosum tamen Dd. sistere video agmen, qui Expectatarum Investituras nullo juris (Feudalis excepti) autoritate roboratas, quinimò pessimis pessimorum hominum moribus in Reip. perniciem investas, ac proinde ex Theatro juridico procul ad glaciale Oceanum ablegandas, clamitant, Sic enim argumentando procedunt; Quic;



Quicquid juris naturæ pariter atque sacræ scripturæ placitis,  
nec non juris Canonici & civilis præceptis contrariatur,  
illud è Christianorum foro est exterminandum.

Sed talis est Investiturarum concessio, quæ in eventum mor-  
tis confertur. Ergò &c.

De propositione nemo, qui Christianus est, illis litem move-  
bit. Assumptionem in quatuor membra dispartiendo, per in-  
ductionem jurium laudatorum probare conantur, & quidem

(1) *Ex decantatissimo L. Naturæ Oraculo: QUOD TIBI* 5  
*NON VIS FIERI, ALTERI NE FECERIS*, ita inferunt:

Quicumque sui ipsius conservationem expetit, alterius verò  
destructionem molitur, is notissimos L. Naturæ terminos  
transgreditur.

At, qui Expectativam flagitat, hoc agit. E. &c.

Minoris probationem statim addunt: Etenim (dicentes) cū  
feudi possessor vitæ dubio procul longioris exoptet usuram,  
Expectatarius contra, nihil prius sibi expetendum censet, quā  
ut is, in cujus locum q̄. est surrogatus, parcarum iniquā ma-  
nu trucidetur. Qui enim vult consequens, vult & antecedēs,  
seu, qui vult finem, vult etiam media ad finem ducentia *arg. l.*

*2. de Jdct.* Quod si repentinum ejus interitum votis omnibus  
non ambiret, in quem amabo finem feudi Expectativam tam  
anxiè sollicitaret. II. *Ex Sacro Codice* adducunt text. ex *Je-* 6  
*rem. c. 17. v. 5. ibi: Maledictus est is, qui spem & fiduciam ponit*

*in homine.* At (inquiunt) Investituram in casum mortis, qui  
precibus efflagitat, nihil certè agit aliud, quam ut promotio-  
nem ab homine duntaxat postulet, autumans, hoc ipsum  
quod petit, divina benedictione effici non posse. Quinimò  
(pergunt) peccat tam importunus flagitator, contra expressa  
Decalogi præcepta, concupiscentiam, quæ circa bona proxi- 7  
mi versatur, severissimè taxantia. III. *Ex Jure Canonico,*

quod proferant, aliud non prostat, præterquam *c. 2. de con-*  
*cess. præb.* ubi promissiones de beneficiis Ecclesiasticis vacatu-  
ris penitus reprobantur. Ratio ibidem additur: Ne desiderari  
quis mortem proximi videatur, in cujus locum & beneficium  
se crediderit successurum. Cum enim in ipsis etiam legibus

B 2

gen.



gentilium inveniatur inhibito, turpe est, & divini plenum animadversione iudicii; si locum in Ecclesiâ Dei futuræ successione expectatio habeat, quam ipsi etiam gentiles condemnare curarunt. Sequitur nunc IV. & ultimum *Ex Juris civilis* derivatum fonte, cujus summam hoc propinant syllogismo:

Quæcunque concessio de futurâ tertii successione suscipitur, illa ceu bonis moribus contraria, legibus à Jure civili præscriptis adversatur.

Talis est Expectatarum concessio. Ergo &c.  
Majoris veritatem demonstrant ex *l. 15. l. 19. l. fin. C. de pact.* ubi omnia ea pacta, quæ futuram respiciunt successione, tanquam odiosa & tristissimi ac periculosi eventus plena, improbantur. Scil. *improbum leges judicant eum, qui de hereditate viventis est sollicitus l. 2. §. 5. de vulg. & pup. substit. l. 27. §. 4. ad SCtum Trebell. & casum adversamq; fortunam, nec non mortem spectare hominis liberi, neq; civile, neq; naturale est l. 83. §. 5. vers. sed hæc dissimilia de V. Obl.* Minoris probationem ex Jul. Claro *lib. 4. sentent. §. feudum q. 14.* desumunt, qui morem hunc in feudandi de feudo nondum aperto inducere votum captandæ mortis docet, & debere Imp. & Principes ab hujusmodi Investituris abstinere, monet. Cui autoritas Hieronymi Schurffii, Jcti religiosissimi mirum in modum adstipulatur, qui inter *Consil. Modest. Pistor. part. 1. cons. 8. n. 8.* stylum in hæc laxat verba: Pii (inquit) & timorati viri bonarum conscientiarum vix laborant, ut taliter Investiantur, in feudis nondum apertis, sub hujusmodi conditionibus: Bonarum enim mentium est timere culpam, ubi culpa minimè reperitur, ut inquit Gregor. Ego (insuper addit) cum quidam Princeps, ante multos annos volebat me, de feudo per vasallum, possesso, sub tali conditione investire, nolui; quia cum scirem me hominem miserum & peccatorem, difficulter me potuissem continere, quod non affectassem mortem talis vasalli. Huc usque Schurffius. Et hæc quidem sunt adversariorum argumenta, quibus nostras pro Expectativis adductas rationes explodere satagunt. Illis omnibus quid responderi pro



pro vitium modulo possit, experiar. Et ut ordine procedam, *primum* ideò parum roboris continere mihi videtur, quia cõmittitur in eo fallacia secundum non causam, ut causam. Non enim eum in finem Expectativam hic vel alter impetrat, ut illicò possessoris vitam abrumpi cupiat, sed ut eo demum cum familiã succumbente, fortunas suas aveat promoveri: Quoniam verò nemini imputandum, quod suæ utilitati prospexerit. *l. 7. C. de prec. Imp. offerend.* nec huic certè tam grandis dica scribenda erit, quasi de morte alterius cogitationem susceperit, præsertim cum animi ingenui non sit, aliquem suspicione prægravare, & quilibet præsumatur bonus, donec contrarium validissimis probationũ momentis demonstratur *c. fin. extr. de præsumpt. latè Menoch. de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 1. & 2.* Quinimò, tantum abest, ut simplex cogitatio mortis alterius, conjunctã cum spe acquirendi aliquid, reprobetur à legibus, ut potius approbetur, ceu patet ex fidei commissis, mortis causã donationibus, substitutionibus, & aliis similibus in mortẽ alterius collatis acquisitionibus, quæ de jure validæ, & frequentissimè usurpantur. Verũm, instabunt fortean dissentientes, excipiendo. I. Concessum quidẽ unicuiq; utilitatem suam promoveri, verũm hoc accipiendum de utilitate & curã, quæ habet honestatem conjunctam, eandem verò hĩc deesse, eo, quod Expectatarius suã sortẽ contentus non sit, sed ad aliena adspiret bona, quod legibus inhibiturum *l. 4. C. fin. regund.* II. Præsumtionem probitatis, elidere expressum malitiæ testimonium, quod turpi se dedat avaritiæ, quam omnium malorum esse radicem, Tullius censuit. Neutrum movet. Non prius, quia lex adducta loquitur de acquisitione, quæ cum tertii conjuncta est injuriã, quam velut à proposito exulantem meritò rejicio. Nam, quod quis jure suo facit, ad injuriam & læsionem alterius factum dici non potest. *l. 151. de R. 3.* Non posterius, quia illud vitiũ duntaxat, & quid noxæ abusus Expectatarum afferat, prætermisissis commoditatibus, quas illæ affatim in Remp. effundũt, commemorare nititur. Cui meritò ex Diodor. Tulden. *lib. 2. de caus. corrupt. judic. c. 3.* verba paucis saltem immutata re-

10.

11.

B 3 po-

10



pono: imprudentis æstimatoris esse, ad invidiam infamiãq;  
rei probè institutæ referre hominum eã utentium perversita-  
tem, quandoquidem in omnibus talibus, non ex earum natu-  
rã quibus utimur, sed ex causã utendi & modo appetendi vel  
12. 41. Potest tamen hoc insuper addi distinctionis moderamen:  
Aut Expectativa per nimiam precum importunitatem con-  
cessa, pariter atq; per ambitionem conspicuam fuit quasi ex-  
torta, & ab omni vitio haud libera existit. Ratio elegans ab  
Imp. in l. 1. C. de petit. bon. sublat. expressa, commodè huc tra-  
hi potest: quoniam plerumq; in hisce causis Magnates inve-  
recundã petentium inhiatione ita constringuntur, ut etiam  
non concedenda, tribuant. Aut verò, vel merã ex benevolẽ-  
tiã atque liberalitate illius, in cuius sinu delitescit, proprio  
instinctu profecta, vel etiam benè meritissimo insigni mode-  
stiã ambienti collatã fuit, & nihil obstat, quominus com-  
mendatione digna sit iudicanda. Si namque Princeps *ultro*  
*spontaneè & motu proprio*, Aus freyer et gener Bewegnis /  
quid concedit, præsumitur id justã causã fecisse, ceu tradit  
ex Felin. in c. que in Ecclesiarum n. 65. de constitut. Dec. in l. 3.  
n. 5. ff. quod quisq; jur. Speidel. in Notat. fut. hist. polit. lit. A.  
n. 42. & clausula motus proprii hujus est efficaciz, ut vitio  
sub & obreptionis notari non possit c. 23. de præbend. in 6.  
Reinck, de R. S. & Eccl. lib. 2. cl. 2. c. 8. n. 18. omnemq; importu-  
nitatem excludit, Peregrin. de jur. fisci lib. 1. tit. 3. n. 38. quanquã  
hoc non obtineat, cum ad partis instantiam clausula *motus*  
*spontanei* concessioni fuit inserta: quia, quã facilitate ad cõ-  
cedendas Expectativas movetur Princeps, eãdem etiam mo-  
vetur ad inserendam dictam clausulam *motus proprii*, ceu  
tradit Speidel. cit. loc. circ. fin. quæ quidem restrictio iudici  
discreto summoperè venit observanda, hoc præsertim feraci  
vitiolorum seculo, ubi tali & simili clausulã *motu proprio*, tam  
impudenter abutuntur multi, ut quanquam ipsi unam aut  
alteram supplicem schedulam exhibuerint, tamen non vere-  
antur hoc quoq; postulare, ut Princeps scribat, *concessimus*  
*motu proprio*, exigentes scil. à Sancto Magistratu apertum  
men-



mendacium, querente de super Oldendorp. *class. 1. act. 1. vers. antepen.* Præterea certum est, quod concessionem meritorum antegredientium nomine factæ, non modò faciliùs admittantur, sed firmiùs etiam consistant *c. 12. §. licet. de testam. l. 12. §. 3. de administ. tut. Thoming. conf. 2. n. 13.* adeò quidem, ut quamvis successores clericorum non teneantur ratam habere investituram, sui antecessoris de re Ecclesiastica in casum mortis factam, teneantur tamen in casu, ubi propter bene merita Expectativa fuit collata *Matth. d. Afflict. ad tit. qui success feud. dar. ten. n. 52. Berlich. part. 2. pract. conclus. 54. n. 14. Schrad. tr. feud. part. 3. c. 2. n. 38. & seq.* cum illis, quos hanc in rem allegat. Et hæc quidem ad datam instantiam dicta sufficiant. Devenio ad alterum dissentientium argumentum, ex *c. 17. v. 5. Jerem.* depromptum, quod ideò me quoq; non ferit, quia sermonem facit de homine extremè impio, supremum illud Numen penitus contemptui habente, qui probè suo se functum autumat officio, si omnes curas atque cogitationes mortalium gregi committat. Talem Expectativæ petã nemo dixerit. Quanquam enim hic amore ac benevolentia Magnatum confusus, ad feudi Expectativam calidis precibus adspiret, tantum tamen abest, ut omnem prorsus Dei gratiam à se abjiciat, ut eidem potius, ceu sacrã anchorã adherere studeat, quo quam felicissimè hoc beneficio aliquando queat potiri. Præcepta Decalogi quod attinet, arbitror, D. O. M. ea ideò præscripsisse, ut lasciviam eorum, qui bonis inhiant alienis, concupiscentiam castigaret, quemadmodum & alia multa in sacris præscribuntur præcepta, quo indomitus quorundã in conquerendis divitiis stimulus retundatur. Ab hac ambitione quin caveat sibi Expectatarius, talpã cæcior, qui non videat. *Tertium* propterea nihil stringit, quia maxima inter Expectativas Præbendarum & Feudorum apparet discrepantia, quam exinde colliges. I. In concessione Præbendarum requiritur electio & vocatio legitimè ab eo, qui potestatem de jure habet, facta. Quod testimonio suo comprobat Paulus *Rom. 10. v. 15.* Quomodo prædicabunt (inquit) si missi non fuerint? Quin & Christus repudiat non missos, ut Pseudo-

13

14

pro-

16



prophetas, qui currunt, antequam mittuntur, *Jer. 23. v. 21.* Ubi  
ubi verò in Expectativarum concessione talis ut præsto sit  
vocatio, reperitur expressum? nullibi. II. In illis, qui ad san-  
ctæ prædicationis officium salubriter exequendum, constitui  
debent, eminens Theologiæ scientia, vitæ morumq; honestas  
requiritur, adeò, ut faciendis Deo sacris meritò judicentur.  
indigni, qui eruditionis suæ vitæque probatum nequeunt de-  
ponere testimonium, ceu patet ex *N. 6, c. 1. ibi: considerari  
prius ejus vitam secundum S. Apostolum, si honesta & inculpabilis  
& undiq; irreprehensibilis sit, & in bonis testimonium habeat, &  
sacerdotem decens.* Et paulò post *vers. sed nec, ibi: Sed nec ine-  
ruditus existens sacrorum dogmatum, ad Episcopatum accedat.*  
add. *c. 15. extr. de off. jud. ordin.* In Expectativarum collatio-  
ne hujusmodi idoneitas haud observatur, ibi namq; Domi-  
nus gratiam facere potest, cui velit *arg. tit. 24. l. 1. F.* Nullius  
deniq; pressuræ quartū argumentū, quod duplici ratione de-  
monstro. Primò namq; Major non est universaliter vera, ut  
pote quæ locum tantum sibi vindicat in illis pactis, quæ de re  
ineuntur ejusmodi, cujus dominium prorsus est alienum, ne-  
que ullo jure ad paciscentes spectat, quæ propterea nullius  
momenti dijudicantur, quoniam liberam testandi facultatē  
impediunt, contra *l. 1. C. de SS. Eccles.* Contrarium obtinet in  
iis, quæ de re non penitus alienā concipiuntur. II. Minor ve-  
nit neganda. Non enim est dispositio de successione, sed de  
caducitate successionis, sive quoddam pactum in defectum  
juris tertii collatum. Quippe non solent ejusmodi promissio-  
nes infeudandi purè fieri, neq; in illud concipi tempus, quo  
utile dominium adhuc penes vasallum residet, sed sub condi-  
tione hâc expressâ, si possessorem feudi sine masculis heredi-  
bus è vitâ migrare contingat, atque adeò promissio in illum  
confertur temporis articulum, quo utile dominium à vasal-  
lo abscissurum, & retrò ad dominum est commeaturum. Præ-  
terea cessat in hâc conventionem præsumptio captandæ mor-  
tis alienæ, partim quod feudum multis aliis modis, quam per  
mortem vasalli, domino aperiatur, partim quod investites  
sub hâc conditione spe illâ succedendi privari possit, si mor-  
tem



tem vasalli acceleraverit *arg. tit. 37. 2. F.* partim etiam, quia certus est, quod feudum in casum mortis vasalli sibi & heredibus suis obventurum sit, quod non est in eo, qui spem habet successionis in hereditate, ut puta, quæ facta ejus, cujus bona sunt, facillimè auferri potest, ut proinde mirum non sit, quod jus civile pactis de futurâ viventis successione nigrum, theta præscripserit. Autoritates, quas illi ex Julio Claro & Hieronymo Schurffio, ut dicam verbo, ex Sticho Plauti excolubrant, parum moror, ratus, eam demùm in militiâ scholasticâ veram esse victoriam, quæ non hominum autoritate, sed legum paratur. Et verò, si autoritatibus pugnandum foret, non dubitarem mehercle, quin duplo plures in medium producere possem. Videri possunt præter Feudistarum Aurigam And. de Ifern. *in tit. qui success. feud. dar. ten. n. 13. vers. comparantur quidem &c.* & Matth. de Afflic. *ad eund. tit. n. 3.* Hartm. Pistor. *quest. jur. 25. à n. 1. usq. ad n. 11. lib. 2. part. 2.* Everhard. Jun. *vol. 1. conf. 1. n. 1. & seqq.* Coler. *consil. 58. n. 14. & seqq.* Gail. *lib. 2. obs. 155. n. 2. & seqq. ibiq.* Græv. *in conclus. Berlich. part. 1. præst. concl. 54. n. 7. & seqq.* Vult. *lib. 1. c. 7. n. 48.* Gincfelthaus *disp. feud. 7. th. 10.* Gottofred. Anton. *disp. feud. 4. th. 5.* Zabel. *disp. feud. 5. th. 3.* Bocer. *de investit. cap. 5. n. 25. vers. cæterum communis est &c.* Muscul. *de success. conventional. memb. 1. cl. 1. conclus. 3. lit. P. n. 88.* Alii, videl. Martin. de carat. Laudens. *ad tit. de feud. dat. in vic. leg. commiss. n. 8.* Jacob. de Belviso *ad tit. Qui successores teneant. §. 1.* & Jacob. de S. Georgio *tr. de feud. verb. investivi talem n. 12. vers. tertio loco &c.* distinguendum censent inter casum istum, quo quis investitur de feudo vasalli adhuc viventis, indefinitè & generaliter, non expresso possessoris nomine, puta: investio Te de feudo, quod mihi primùm aperiatur; & hunc casum, quo quis de feudo certi alicujus vasalli investitur, ut si quis investitur de feudo Titii, in eventum caducitatis. Priori casu, nostram opinionem admittunt, posteriori adversariorum præferunt. Et hâc ratione quoque Mediolanensium & Cremonensium cum Placentinis pugnam, quâ de *in tit. 36. 2. F.* conciliari posse, perhibent. Verùm cum solidè refutati sint.

16.

C

à

16



17. à Cagnol. *ad l. fin. C. de pact. n. 133.* Nicol. Everhard. Jun. *vol. 1. consil. 1. n. 1.* nolo crambem bis coctam apponere. De illo saltem dubio disquiram: An idem dicendum sit, si agnati, qui vasallo possessore feudi defuncto successuri sunt, paciscantur de feudo, ejusdemq; divisione, vivo etiamnum vasallo? Ab agentium cohorte dependent Cagnol. *d. l. n. 136.* Vult. *d. c. 7. n. 48.* Gotofred. Anton. *ib. s. lit. B.* Muscul. *d. l. n. 90.* Ab inficiantium Schurff. *inter Consil. Modest. Pistor. conf. 8. n. 5. & seqq. Vol. 1.* Dauth. *ad l. fin. C. de pact. à n. 37. usq; ad n. 107.* Ego in hoc labyrintho ad Ariadnaum distinctionis filum confugio, distinguens inter feuda ex pacto & providentiâ, & feuda hereditaria. Et in illis quidem pactum admitto, in hisce rejicio.

XXI.

*Efficiens propinqua sunt persone, quæ liberam de feudis aperiendis disponendi facultatem habent.*

- Hæc qui gaudent, unius generis non sunt: Aut enim sunt
1. *Ecclesiastica,* aut *Seculares.* De illis, utpote dignioribus, motus *S. fin. l. de 3. N. G. & C. l. 1. de alb. scribend.* prius, post de cæteris sermonem instituturus sum. Priores quod attinet, cum inter istos Principatum sibi vendicet Pontifex Romanus, quæstio exurgit haud inelegans: Num de Ecclesiæ bonis Expectativas elargiri valeat? Quod affirmo, quia licentia infeudandi competit Archiepiscopo, *tit. 1. in pr. tit. 3. 1. F. tit. 35. 2. F.* Papa verò est Archiepiscopus Ecclesiæ Romanæ, *arg. c. in tantum 9. dist. 31.* Pontificem excipiunt Prælati, Primate, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates & Clerici, qui Expectativas, de propriis & quæ ac Ecclesiæ bonis, non tantum extraneis, sed imò consanguineis, siquidem antiquitus infeudandi consuetudinem habuerint, licitè conferre possunt, *arg. c. 2. ext. de feud. tit. 35. tit. 91. 2. F.* Etenim expedit quandoque Ecclesiæ, ut de iis bonis, quæ abundantia sunt, sibi vasallos comparat, ut si fortean bellis affligatur, quia ipsa non arma gerere sed precibus & lacrymis, tanquam armis Ecclesiæ studere de-

t. 2.



bet *can. non pila 23. q. 8.* viros præsto habeat bellicosos, quo-  
rum auxilio hostium insultus repellere, & refractarios in o-  
bedientiæ gyrum reducere potis sit. Nec est, ut hoc in passu  
capituli consensum tam anxie expectent, modò videant, ne  
quid detrimenti capiat Ecclesia, aut contra consuetudinem  
antiquitùs observatam aliquid innovetur. Curt. Jun. *part. 2.*  
*memb. 2. q. 14. de feud.* *Stinckelthaus diss. feud. 3. controu. 2.*  
Monachos tamen ab his exclusos volo, quanquam mihi o-  
ptimè constet, eosdem latissimâ clericorum appellatione ve-  
nire. Quî enim Expectativas conferre poterunt, cum domi-  
nio rerum suarum penitus sint orbatî, eò quod in Rempubl.  
monasticam adscribi semet passi fuère, *c. cum ad monasterium*  
*6. ext. de stat. monach. auth. ingressi C. de SS. Eccles.* Non entis  
autem, nullæ sunt affectiones. Ecclesiasticis succedunt  
Seculares, quæ vel *mares* sunt, vel *Fæminæ*. Mares, qui  
vel *alicujus superioritatis*, vel *nullius* respectu Expectati-  
vas largiuntur. In illorum classe qui sunt, primus meritò lo-  
cus assignandus venit *Divo Imperatori*. De hoc cum dica-  
tur, quod caput sit secularis Jdictionis & omnium Magistra-  
tuum causa prima, Just. Mej. *disc. adl. 9. de L. Rhod. de jact.*  
imò corporalis mundi Deus, eminens super omnes, tanquã  
stella matutina in medio nebulæ meridionalis, Matth. Steph.  
*de Jdict. lib. 2. p. 1. c. 1. n. 48.* dubitandû utiq; haud erit, quin de  
patrimonialib9 atq; propriis bonis liberû Expectativas cõce-  
dendi habeat arbitriû. Aliud dicendû videtur de bonis Impe-  
rii, tû ipsius cõcedentis, tû rei cõcedendæ respectu. *Ratione* qui-  
dem *concedentis* I. Quia Imperator præficitur Imperio, ut  
Administrator, quemadmodum ipsemet fatetur in *Recess.*  
*Imp. de Ann. 1559. ibi: vnd vns mit der Bürde der administra-*  
*tion vnd Verwaltung des Heil. Reichs beladen lassen.* Cujus  
autem curæ concredita est administratio, is alienandi facul-  
tate caret *l. 63. ff. de procur. c. 2. ext. de donat.* II. Quia Impe-  
ratoris officio incumbit tueri & augere Imperium, unde & in  
*N. 11. 30. § tit. 52. § 55. 2. F.* semper Augustus, (quamquam  
malè secundum Goldastum, quem hoc nomine notat solet-  
tissimus Juris publici indagator Limæus *lib. 2. c. 1. n. 31. de*  
*jur.*

4.

5.

6.

7.



jur. publ.) dicitur, Germanis esse **Mehrere des Reichs.**  
Ergo non debet diminueri Imperium, quod utiq; fieret per  
Expectativæ collationem, cum per eam utile dominium in  
Expectatarium transferatur *arg. tit. 32. §. ult. 2. F.* quamvis nõ  
pleno jure, sed in casum, quo plenissimè cum directo est con-  
solidandum. III. Quia Rex in præjudicium sui regni nihil  
quicquã ad alium titulo alienationis potest trãsserre, quam-  
vis hoc se facturum juratò promiserit *c. intellecto extr. de jure-  
jurand.* Imperator v. est Rex *tit. 26. in pr. 1. F. tit. 54. 2. F.* quam-  
vis hodiè non simplici nomine Regis, sed Regis Romanorum  
gaudeat, uti ex perquam multis A. B. pariter ac Recessuum  
Imp. locis constat, quas aliquã ex parte citat præfatus Dn.  
Limn. *d. l. n. pen.* ubi insimul nomen Regis Romanorũ Con-  
radi seculo in usum & observantiam abiisse, commemorat.  
Accedit deniq; IV. Capitulatio Rudolphi II. cujus tenorem  
ex authentico scripto à Magnif. Dn. Præceptore Arumæo p.  
m. *Discurs. ad A. B. 4. ib. 16.* relatam, lectori exhibeo, verbis  
sic sese habentibus: **Was auch vom Ehn dem Reich vnd Uns-  
benzeiten vnser Regierung eröffnet vnd ledig helmsfallen wird/  
so etwas mercklichs ertragen/ als Fürstenthumb/ Graffschafft-  
ten/ Herrschafften/ Städte vnd dergleichen/ die sollen vnd wol-  
len wir niemand verleihen / Sondern zu Vnterhaltung des  
Reichs/ Vnser vnd ander Nachkommenden König vnd Keyser  
behalten/ einziehẽ vñ incorporiren, biß so lange dasselbe Reich  
wieder zu Wesen vnd Aufnehmen kömpt/ doch vns/ wegen aller  
vnser Erblande vnd sonstn männiglich an seinen Rechten vn-  
schädlich.** Huic compactationi consimilis est illa Carol. V. quã  
refert Goldast. *p. 2. Reichssetzung fol. 184.* & successoris Fer-  
dinandi Imperatoris, cujus copiam exhibet prænominatus  
autor *p. 5. Politischer Reichshandel sect. 1.* Sed quorsum illud,  
quod Rudolphus I. filio suo Alberto, qui primus Archiducũ  
Austriæ plantator fuit, Austriam ad Imperiũ devolutam con-  
tulisse legitur? Horsum scil. ut Imperatoribus priscis, ante-  
que Bullæ promulgationem regimini Rom. Imper. præfixis  
licentiam hanc competiisse intelligamus, ut Ducatus, Comi-  
tatus, aliãq; feuda Imperii immediata largiri potuerint *tit. 70  
tit.*



tit. 14. in pr. 1. F. tit. 10. 2. F. Tantum verò abest, ut post hanc Bullam amplius hoc usu sit receptum, ut contrariâ potius observantiâ penitus abolitum videatur. Prægnantes profectò inter causas, ob quas Imperii status Wenceslaum Imperatoriâ dignitate privandum statuerunt, hæc non postrema fuit habita, quod Dominos Mediolani Duces & Papiensem comitem creasset in feudis Imperii, uti legitur in Reichshandlungen de An. 1397. bis in das 1494. Jahr zu Franckfurth abgefast sub tit. Was man Wenceslao durch Botschafft zugeschickt/ da man ihm des Reichs entsetzen wollen/ das dem Reich verderblich wäre &c. Als der den Herrn zu Meyland zum Fürsten/ vñ zu Pavey zum Grafen gemacht auff des Reichs Städte/ Schloß vnd Güter/ das soll vnser Herr vnd König wiederruffen/ wann er das keine Mõge vnd Macht zu thun/ vnd gröblich wider das Reich ist. Betsius de pact. fam. illust. p. 552. Zabel. diss. feud. 8. th. 7. lit. C. Hinc etiam Marillacus Regis Galliarum apud Imperatorem legatus, Henricum Regem admonuit: non esse ferendum illud, quod Car. V. Imp. Philippum filium extra conventus, ac sine Principum Germanorum consensu, Bruxellis An. 1551. Mediolani Ducem designasset. Bodin. 2. de Republ. c. 6. vid. Magnif. atq; Nobiliss. Dn. Præcept. Arum. p. m. discurs. ad A. B. 4. th. 16. discurs. jur. publ. 7. th. 24. Vol. 2. Buxtorff. ad A. B. th. 87. lit. H. & I. Dnn. Carpzovii fratres dissert. de Regal. th. 117. Diss. Everhard. Jun. Cons. 1. Vol. 1. n. 12. & seqq. Caspar Leipold. de concurrent. Jdiët. diss. Basil. Vol. 5. lit. XX. col. 3. quest. 5. ad fin. Bocer. tr. de Investit. cap. 3. n. 71. qui Capitulationem Imperii non de feudis apertis, sed de vacantibus interpretatur, deceptus fortean compendiosâ versione Sleid. lib. 1. circ. fin. de stat. relig. in capit. Car. V. ibi: Imperii bona, que fortè vacabunt, nemini conferat, sed ad publicum patrimonium referat. Verùm aperta Capitulationis Rudolphinæ verba, ratio itidem eidem inserta, ut labescentis Imperii vires restaurètur, huic explicationi expressè reclamant. *Rei concedende con-*

8.

C 3

exi

16



existentibus §. 4. I. de legat. §. 2. I. de inutil. stipul. Imperium  
verò non esse in marsupio Principis, ita ut ejus jura pessun-  
dare, & instar pecuniæ per fenestram ejaculare liceat, docet  
9. *Bald. in c. intellecto extr. de jurejurand.* Ex quibus liquidis-  
simè apparet, Donationem Constantini, quâ Italianam  
& universalem Iudictionem in se translata mentuntur Pon-  
tifices *can. Constantinus dist. 96.* ut maximè unquam facta esset,  
ipso jure irritam esse, & à quolibet Imp. adhuc revocari pos-  
se, quia intercessit de bonis ac juribus ejusmodi, quæ sacrilim-  
perii caput & cor tangunt, quæq; ossibus tantæ majestatis im-  
10. pressa manent, *Reinck. de R. S. & Eccl. lib. 1. cl. 2. c. 8. n. 85.* Pro-  
ximam ab Imperatore sedè occupant *Reges & Respublica,*  
neminem nisi Deum & ensẽm superiorem recognoscentes.  
Summam etenim & hi in suis regnis exercent potestatem,  
omniaq; ea, quæ Imperatori in signum præminentia con-  
cessa sunt, expedire valent, ut legitimare, famæ restituere,  
create Duces, Marchiones, Comites. quos tamẽ extra horun-  
dem Imperia pro talibus non haberi *Vult. lib. 1. c. 4. n. 14. de*  
*feud.* existimat, à quo divortium facit *Limæus lib. 4. c. 1. in fin.*  
*de jur. publ.* asserens, hoc ipsum materiam injuriarum sugge-  
rere, & mutuã regnorum evertere reverentiam. Sanè ex jam  
11. adductis, nec non eo, quod Reges suis in Regnis Imperatores  
& Monarchæ salutantur *c. suote 6. q. 8.* *Jacobus. de Fran-*  
*chis in pralud feud. c. 2. n. 4.* colligere licet, illos Majestatem,  
adeoq; omnia eidẽ annexa jura meritissimò sibi vindicare. Ut  
dehinc haud immeritò mirari liceat judicium Dn. Reinckin-  
gii, viri alioquin in juris publici studio versatissimi, qui in  
suo de *R. S. & Eccl. tractatu lib. 1. cl. 3. c. 11. n. 16.* scribere haud  
erubuit, Regulis atque Rebus publicis superiorem non reco-  
gnoscentibus, non nisi per similitudinem Imperatoris & ana-  
logiam quandam, supremæ potestatis & majestatis jura com-  
petere. Error viri doctissimi hinc emanavit, quod videret  
12. in Imperii conventibus nulli Regum majestatis, sed tantum  
regiæ dignitatis attribui titulum, *die Königl. Würde zu*  
*Böhmen. R. A. zu Eßlingen/ de An. 1526. § vnd seynd die die*  
*Ehurfürsten. R. A. zu Erfurt de An 1567. §. ferner zum andern*  
&c.



&c. die Königl. Würde in Hispanien. Sed nosse debuisset  
optimus ille Reinckingius, quod in nominibus & nudis titu-  
lis vis & essentia majestatis non resideat; Solemus namq; his  
uti ceu numis, quibus publica forma dat pretium. Præterea,  
in ejusmodi titulis & appellationibus *Kaiserlicher Majestet/*  
*vocem majestatis non sumi pro ipso majestatis jure, sed pro sum-*  
*mâ persona dignitate, quâ Imperator Principes Christianos*  
*excellentiâ præcedit.* — velut inter ignes

Luna minores.

R. N. de An. 1518. pr. R. N. zu Speyer 1519. vnd anfänglich  
An. 1530. nach dem aber ibi: Oberstes Haupt der Christenheit.  
Regibus insequuntur *Capitanei Regis vel regni*, quales  
in imperio nostro agnoscimus serenissimos Electores, Ar-  
chiduces, Duces, Marchiones & Comites. Et hi quoq; quia  
titulo & dignitate perpetuâ in heredes transitoriâ sunt deco-  
rati, regulariter omnia ea, exceptis tamē iis, (quæ Imperatori  
in signum superioritatis specialiter sunt reservata, adeoque  
medullis ejus in hærent, ut nulli vel præscriptione, vel conces-  
sione acquiri possint,) quoad subditos suos exercere possunt,  
quæ potest Imperator in universo Imperio. Unde vulgatum  
illud & tritum, tam in foro, quam in Scholis effluxit Dd. the-  
orema: Tantum posse Principem in suo territorio, quantum  
Imperator in universo Imperio, daß ein jeder Fürst Kaiser in  
seinem Lande sey. Quousq; tamen hoc procedat, latissimè o-  
stensum à Reinck. de R. S. & Eccl. lib. 1. c. 5. c. 6. per tot. Agmē  
claudunt *Valvasores Majores*, qui, ut quorundâ est opinio,  
à Valvis, quod ad Valvas Dominorū custodiæ & reverentiæ  
causâ stant, vel ut alii volunt, à Germanico *Wall & West*/no-  
men sortiti sunt suum: Eosq; hodiè Barones esse & nobiles  
eminentiores tradit Bald. ad tit. 1. de his qui feud. dar. poss. quæ  
Dd. gregatim sequuntur, quanquâ Vult. lib. 1. c. 4. n. 14. de feud.  
Barones Capitaneorum, non valvasorum majorum numero  
accensendos esse opinetur, quia Germaniæ consuetudine  
Comiti Baro æquiparetur, nullumque inter hos sit dignitatis  
discrimen, nisi quod Baro de comitatu non sit investitus.  
*Nullius superioritatis respectu Expectativas conferunt Val-*

13.

14.

15.

16.

17.

12.

16



18. *vasores minimi, vel valvasini, ut sunt nobiles sortis tenuioris, Plebei & Pagani, in quorum etiam censum rusticum adscribo. Quæ enim non esset injuria, homini ingenuo, sub inani dignitatis, quæ ex tit. 1. lib. 1. F. prætexi fortè possit velamento, liberam de rebus suis disponendi facultatem adimere? Fuerunt Mares, sequuntur Fœmella. Et has quidem ab Expectatarum collatione arcendas dixerim, nisi illas consuetudo feudalis expressè admitteret tit. 3. §. sed etiam vers. fœminam quog. 2. F. Etenim ipsa Lex divina fœminam subjicit mari Gen. 3. v. 16. 1. Cor. 14. v. 34. Eph. 5. v. 22 & 24. Et Aristoteles aliquam multis in locis edocet, illud demum Imperium ratione convenire, quo præstantior imperat inferiori: atq; fœminæ naturâ dotes sive corporis, sive animi respicias, viris ut plurimum longè sunt inferiores, quod latius persequitur Tiraq. in l. 1. Connub. n. 55. & seqq. Quo respexit Aventinus, qui lib. 1. Hist. edit. German. faceret scribit: So bald die Welber regieren/bedeutet es nichts guts/man schawe nur drauff/ es gehet an ein verderben. Vitiatur tamen feudalis ista, de quâ pronuper sermonem feci, consuetudo, si fœminis ex statuto bonorû alienatio interdicta sit. Prohibitus namq; alienare, facultate infeudandi caret arg. tit. 8. in pr. 2. F. Unde pleno quasi alveo sequitur, Fœminam de Jure Sax. per se, sine mariti tanquã curatoris conjugalis *Eheltchen Vormündens*/vel alterius curatoris, peculiariter ad hoc cõstituti *Kriegtschen Vormündens* consensu & autoritate, infeudandi copiam non habere, per text. LandR. lib. 1. art. 45. vers. Ein Weib mag ohne ihres Manues Vrlaub ihr Gut nicht vergeben / & Nov. El. Aug. part. 2. const. 15. §. Gleicher gestalt &c. nisi fortean sit persona illustis, per ea, quæ tradit Hering. in tract. de fidejussor. cap. 7. n. 517. & seqq.*

XXII.

*Finis est vel ultimus, vel Intermedius seu proximus.*

1. *Ille est Reipubl. commodior defensio, & familiarum maximè Illustrium conservatio. Hic alius ex parte Concedentis, alius rursus ex parte concessionarii. Concedentis qui-*
- 2.

qui-



quidem, ut is sibi fide & officio devinciat eum, in quem Expectativa contulit beneficium, tit. 23 2. F. Rosenthal. de feud. c. 8. concl. 1. n. 1. Concessionarij verò, ut is, aperto feudo, beneficio memorato & benevolentia Domini cum suis in gaudio utatur, fruatur, d. tit. & Rosenthal. cit. loc.

XXIII.

*Causa interne sunt Materia & Forma.*

XXIV.

*Materia est duplex, in qua seu Subjectum, & circa quam seu Objectum.*

XXV.

*Materia in qua seu Subjectum sunt persona, quibus acquisitio bonorum feudalium legibus interdicta non est.*

Tenenda est hic conclusio generalis, quam Dd. neunt ex tit. 3. vers. personam & tit. 26. vers. si minori 2. F. Expectativas quelibet accipere posse, nulla sexus, aetatis, conditionis, dignitatis aut qualitatis attenta discriminatione. Ergo quoad sexum foeminae, quoad aetatem infantes, quoad conditionem, filii familias, servi, quoad dignitatem clerici, Rustici, quoad qualitatem muti, surdi, caeci, prodigi, furiosi & mente capti veniunt computandi. Quorum quidam, qui nullum habent iudicium, nullum consensum, ipsi Expectativas accipere nequeunt, per tutores tamen & curatores possunt arg. l. 5. de R. J. tit. 3. vers. sed utrum 2. F. Dominus autem, qui imperfectis & ad servitia inhabilibus personis Expectativas contulit, sibi imputabit, quod sciens prudensque vasallos non militares elegerit, & ob id vel nulla servitia exigere potest, vel quia feudi contrahendi causa conventum, nec tamen ita pactum videri potest, ut in personam servirent, inhabilitate scilicet obstante, idcirco, ut res in tuto collocetur, nec actus corruat, mens contrahentium interpretatione conservanda, ut Dominus gratiam fecisse censeatur, quod voluerit, ut vicariam operam per alios

D sup.

3.

1.

2.

3.



4. suppetias ferre valeant. Hanneon. lib. 1. de jur. feud. c. 6 p. m. 72 Andr. de Isern. in c. un. de benefic. fœmin. n. 5. in fin. Quem admodum verò nulla aliàs regula est tam firma, quæ non suã aliquando patiat exceptionem; ita & hæc nostra suas admittit. Prohibentur enim Expectativas accipere omnes illi, quos in consortio suo habere, propter illis adhaerentem maculam, Domino & paribus Curia minus est honorificum arg. l. 144. de R. J. tit. 37. 2. F. quales sunt Hæretici l. 4. C. de hæretic. Excommunicati excommunicatione majori c. 16. c. 19. c. 32. 11. caus. 9. 3. proscripti & banno imperii perculsi Gail. de pac. publ. lib. 2. c. 12. usurarii l. 20. C. ex quibus caus. infam. irrog. 5. Sed quid de spuris censendum? Distingvo: Aut spurii re & vitã honesti sunt, & tunc nullã infamiã laborant, ideoq; non obstat illis vitium natalium, quominus ad Expectativas adspirare valeant l. 3. §. 2 ff. de decur. c. undecunq; 3. & c. nunquam 4. dist. 56. Aut sectantur vitia paterna, & tunc pro inhonestis & infamibus judicantur, & per consequens ab Expectativis arceri possunt. per d. c. 3. dist. 56. add. Besold. in Delib. Jur. ad lib. 3. π. p. 277.

XXVI.

*Materia circa quam seu Objectum sunt res ad Expectativarũ constitutionẽ habiles.*

1. Tales quæ sint exprimit tit. 1. 2. F. ex quo plurima sese offerrent discutienda, si mihi volupe esset ambitiosè in chartis delirare. Sed cum brevitati sit studendum, nonnulla saltem
2. levi (quod ajunt) brachio attingere placet. *Primum* sit, Nomothesium feudalem in rebus hominum commercio, vel naturã, vel prohibitione legis aut hominum exemptis, Expectativa constitutionẽ nõ admittere arg. §. 4. I. de legat. *Alterum*;
3. Nihil interesse, an res ad Expectativa constitutionem donec corporales sint, sive incorporales, seculares vel Ecclesiasticæ, modò in his personæ antiquitùs infeudandi consuetudinem habuerint tit. 1. in pr. 1. F. tit. 91. 2. F. *Tertium*;
4. Non adeò improbabilem esse existimantium sententiam, Expectativam videl. impropriam constitui posse in pecuniã numeratã vel alia



aliâ re mobili, satisfactionis remedio intercedente. Nam cui forma substantialis attribuitur, ei quoq; rem ipsam attribui, necesse est. Jam v. fidelitas, quam pro substantiali feudi formâ agnoscunt omnes, attribui quin possit rebus mobilib9, dubiû planè est nullum. Præterea depositi proprium est, ut ne quidem possessio transeat ad depositarium, nedum dominium: quia tantummodò custodia causa commendatur §. 3. *I. quibus mod. re contrah. obl. l. 1. in pr. depos.* si tamen pacto conventum, ut depositâ pecuniâ depositarius utatur fruatur, ac tantundè reddat, non idem, licet hoc pactum notissimos depositi terminos egrediatur, depositum nihilominus est, quamvis improprium *l. 24. l. 25. §. 1. depos.* Quid igitur vetat idem non fieri in feudo, infinitis circa naturalia & adjuncta mutationibus obnoxio? Svadet hoc deniq; text. expressus *tit. 25. 2. F. ubi Obertus de Orto & Gerardus Consulti de feudi evictione, respondent, si vasallus domino litem denunciavit, nec dominus eum defendere voluit, ac vasallus in eo iudicio victus fuit, quod de re alienâ investitus esset, dominus de evictione tenetur hoc modo, ut Vasallo aut æstimationis ejusdem, quod erat tempore rei iudicatæ feudum restituat, vel numos in feudum dandos numeret. Nô ait textus pro feudo numos dandos, sed in feudum. Et dominus debet restituere, imò dare numos in feudum, i. e. infeudare, non vasallus debet comparare, vid. Magnit. Dn. Sindelthaus *disp. feud. 1. contr. 1. & disp. 3. contr. 9. Petr. Loriott. in epit. feud. lib. 1. c. 6. n. 7.**

XXVII.

*Forma alia est Accidentalisis, alia Essentialis.*

XXIIX.

*Accidentalisis externam Expectativarum indolem depingit.*

Eaq; certa hic constitui nequit, cum variet pro stylo aulae ac curiae magistratus, à quo Expectativæ constituuntur. Quandoquidem libero cujuslibet relictum est arbitrio, prout

D 2 ipsi

16



ipsi placuerit, sua concipere indulta ac beneficia. Varias autem concessionum feudi vacaturi **Eines Anwartungs Breffs** exhibent Additionat. in *Epit. feud. Schneidew. part. 3. de pers. qui feud. dar. lit. F.* Aut. Anonym. in *Formular allerley Schrifften* /c. apud Egenolphi hered. fol. 24. Abraham. Saur. in *Specul. Notar. lib. 4. c. 23.* Aleman. p. 1. *palest. consult. 6. p. 333. & seqq.*

XXIX.

*Essentialis internam Expectativarum naturam vid. substantiam exponit.*

1. Et hæc iterum alia est Expectativæ *Constituta*, alia *Constituenda*. *Constituta* est I. *Promissio fidelitatis*. Hæc namque, quatenus vasalli affectum & fidem die *Lehnspflicht* / das er dem Herrn getrew vnd hold seyn wolle /c. denotat, propria & substantialis est feudi forma, & ab eodem sine ejusdem destructione abesse non potest. At verò quatenus juramentum, quod pro fidelitate servandâ præstatur, significat, ut in *tit. 3. circ. fin. tit. 4. 5. & 6. 2. F.* est tantum de naturalibus feudi, & propterea à feudo, sine rei mutatione vel corruptione, & abesse & remitti potest *tit. 24. §. est & alia circ. fin. 2. F.*
2. II. *Actualis rei & possessionis traditio, seu Investitura* *tit. 1. in fin. tit. 2. in pr. & tit. 33. 2. F.* Hujus ad petitionem utrum Expectatarius de jure sit adstrictus fluctuant Dd. Ego totam hanc litem distinctionis foedere determinandam censeo. Aut enim promissio de spe feudi facta, nec eam in continenti investitura subsecuta, neq; de certo tempore, quo caducitate eveniente investitura fieri debeat, conventum fuit; aut verò contra. Hic teneri, illic verò minus ambigendum haud est; Quia scil. posteriori casu in domini positum est arbitrio, qui Expectativam est pollicitus, quando Expectatarius ad accipiendam investituram velit citare *d. tit. 24. §. est & alia 2. F.* posteriori, determinatio temporis pro Expectatario interpellare, & ipsum in morâ constituere videtur *arg. l. 12. C. de contrab. & committ. stip. l. 2. C. de jur. Emphyteut.* Quæsitum hic memini; utrum etiam renovatio investituræ de feud
- 3.



feudo vasalli adhuc viventis factæ, sit necessaria, conceden-  
tis vel cõcessionarii personâ mutatâ? Negativam amplector.  
Quomodo enim renovatio ante adeptam possessionem ritè  
petatur, cum adeptæ possessionis cõfirmandæ & quasi redin-  
tegrandæ gratiâ suscipiatur? Alvarott. *in t. 1. in pr. quæ fuit*  
*prim. causa benef. am. Curt. Jun. in tract. feud. in 5. par. 23. cau-*  
*sa privat. n. 54.* Et hoc non tantùm jure communi feudorũ,  
sed etiam Saxonico procedere autumo, quanquam contra-  
rium hoc jure decisum esse multis sit persuasum, referente  
Pistor. *quæst. jur. 31. n. 2. lib. 2. part. 2.* siquidem hoc expressè  
satis disponit, quod post adeptam demum possessionem, in-  
ter annum & diem ab eo tempore numerandum, renovatio  
investituræ fieri debeat *Lehn R. c. 57. ibi: da er aber starb/ da*  
*ward es sein recht Lehn sonder Bedinge/ also doch/ daß er es dem*  
*Herrn erinnern binnen seiner Jahrzahl.* Et *Nov. Elect. August.*  
*const. 45. part. 2. §.* So viel *ibi: daß dem Bedinge nicht ehe soll*  
*folge geschehen / dann wann sich der Fall zugetragen/ vnd der/*  
*welchem es verschrieben / den wirklichen Besitz des Lehnguts*  
*erlanget / vnd von solcher Zeit an soll er innerhalb Jahrs vnd*  
*Tages die Belehnung zu suchen/ schuldig seyn.* Quod si itaque  
possessionem Expectatarius nondum nactus fuerit, ob non  
petitam investituræ renovationem jus suum haudquaquam  
amittet. Schneidew. *in epit. feud. part. 5. n. 35. & 36. Vult. lib.*  
*1. c. 7. n. 98. de feud. Gottof. Anton. disp. feud. 8. tb. 5. lit. H.*  
*Berlich. part. 2. concl. præct. 54. n. 65. Benedict. Carpzov. de-*  
*fin. forens. 10. part. 2. const. 45. ubi Mens. Oct. Ann. 1598. in*  
*causa Sebastiani à Wiclebens in Lipsiensium Scabinatu*  
*hunc in modum pronunciatum fuisse testatur: Vnd es*  
*würden ewere Erben/ vnangesehen ihe dem Bedinge vff vorge-*  
*henden Fall niemals folge gethan / mit dem verledigten Lehn-*  
*gutte wirklich billich beliehen B. R. W. III. Testatio per tit.*  
*2. in pr. tit. 32. 2. F. Quæ sit vel instrumento parium Curia te-*  
*stimonio confirmato per d. tit. 58. §. quod autem 2. F. vel Te-*  
*stibus. Testium habitas cognoscitur, & ex quantitate &*  
*qualitate. Quantitas describit numerum, qui hîc minimum*  
*indualitate debet consistere tit. 26. §. si quis 1. F. l. 12. de Testib.*

4.

5.

D 3

Quæ

16



Qualitas residet in tribus I, ut sint liberi, non servi *d. tit. 58. §. quod autem 2. F. II.* ut sint masculi, non foeminae *tit. 32. vers. de veteri autem 2. F. III.* ut sint Patres Curiae *tit. 2. §. si verò tit. 3. & 4. in pr. 1. F. tit. 2. & tit. 32. 2. F.* Pares autem Curiae sunt ejusdem Domini in eodem territorio convasalli, sic dicti, non quod pares sint domino, sed quod inter se sint pares, in eo, quod ipsorum res feudales unius domini territorio & curiae, h. e. domui dominicali subsint *arg. d. tit. 26. §. si quis 1. F. Duar. de feud. c. 7. n. 3.* Et hucusq; de forma Expectativae Constituta, paucis nunc *de Constituenda.* Circa quam duo praecipue sunt notanda. 1. *Declaratio voluntatis dominica*, quae si instrumento Domini sigillo corroborato nitatur, frustra parium Curiae subscriptionem, ad probationis perfectae fidem, desiderabit, tum, quia ante investituram nec dominus nec vasallus dicendus est, utpote qui solius feudi intuitu ita recte dicuntur. Si itaque neque dominus, neque vasallus est, nec Pares habebunt, quorum subscriptione actus muniri possit; tum quia deficit hinc dispositio juris feudalis, standum igitur merito juri communi, quo instrumentum sigillo domini subsignatum satis contra sigillantem probat *l. 2. junct. gloss. C. de reb. alien. non alienand. Schrad. de feud. part. 5. cap. 2. n. 12. Boc. de Invest. feud. c. 4. n. 69. & seq. qui, ut sigillum obligare possit sigilli dominum, tria conjunctim requirit. (1) ut exprimat in instrumento, cujus sit sigillum, (2) ut adjiciatur etiam, a quo apponatur, (3) in quem finem apponatur. add. Berlich. part. 2. conclus. pract. 54. n. 49. Rosenthal. de feud. cap. 6. concl. 6. n. 1. & seqq. Hartm, Pistor. q. 30. per tot. lib. 2. part. 2. qui fuisse hanc quaestionem pertractavit, & ita a Scabinis Lipsiensibus responsum pariter atque in supremo aulae judicio pronunciatum fuisse, refert. Advertendum tamen hinc est, voluntatis dominicae declarationem *non puris verbis, sed sub conditione eaque possibili conceptis* fieri debere, illud quae respiciunt tempus, quo possessor sine liberis decesserit *unter dem Gedinge, vnd vnter dem Bescheid / ob der ohn Lebens Erben stürbe / der es in gewehren hat c. 5. & 57. Lehn R.* Pure enim si facta fuerit promissio, ipso jure erit nulla *tit. 3. tit. 9. 1. F. tit.**



26. §. moribus & tit. 35. 2. F. *ibidem*, Dd. adeò quidem, ut licet casus aperturæ illicò post extiterit, robur tamen ullum fortiri nequeat, secus atq; opinatus est Bald. & Jacob. de Belviso *in tit. 1. qui success. ten.* qui denato feudi possessore sine legitimis feudi heredibus reconvalescere concessionem hanc docuere, siquidem stipulatione interveniente sit celebrata, aut Expectatarius feudi possessionem adeptus. Locum enim hinc sibi vindicat regula illa Catoniana: Quod ab initio vitiosum est, tractu temporis non convalescit *l. 1. de reg. Caton. l. 29. de R. J. vid. Schrad. de feud. part. 3. c. 2. n. 19. Fachin. lib. 7. contrav. c. 28. in med. vers. quod attinet. Borch. c. 7 part. 1. n. 24. de feud. Hartm. Pist. d. 9. 25. n. 12. & seqq. lib. 2. part. 2.* Nec refert, an possessor consensum suum adhibeat, an verò non *tit. 26. §. moribus & tit. 36. 2. F.* Quomodo enim istius adensus, quem tutò sperni posse supra evici, ratum efficere poterit, quod est de jure invalidum? Valeat itaque Boceri opinio, existimantis, eatenus valere purè factam de feudo viventis investituram, quatenus ipse possessor huic consentiendo adstiterit. Fundamenta, quibus suæ opinionis superstruxit ædificium, sunt sequentia. Primum *ex tit. 35. 2. F.* desumptum est, ubi scribit Feudista, Investituram etiam sine vasalli voluntate factam valere, si sub cõditione, quo feudum sibi aperiatur, concepta fuerit. Ergò infert Bocerus, aliud sentire Feudistam in casu, quo purè facta fuerit, irrequisito vasalli consensu. Verùm responsio in proclivi est, argumentum scilicet à contrario sensu non procedere, quoties tendit ad juris correctionem, & absurdam fovet pugnantiam, quod utique hoc in loco fieri, nemo non videt. Dicere enim Investituram de feudo viventis fieri posse, modo is, qui possidet, consentiat, omninò supponit correctionem eorum, quæ hactenus ex tot textibus inculcata fuere, nimirum investituram ejusmodi purè factam neutiquam valere. Dicere verò, Investituram in tempus mortis collatam sub conditione fieri oportere, & dicere purè conceptam validam esse, annon expressam redolet contrarietatem? Quomodo enim illud, quod sub conditione, purè concessum, e contra, quod purè collatum, sub condi-  
tio

8.



9. tione factum asseri poterit? aut, quomodo, si investituram in tempus mortis conceptam purè fieri posse, contendit Bocerus, discrimen inter puram & conditionalem ritè statuet, ceu quidè sui oblitus facit *in loc. alleg. n. 14.* quando accuratè inter utramq; investituram distingvendam esse docet, juxta *tit. 9. 1. F. & tit. 35. 2. F.* Alterum ex *l. fin. C. de pact. petitem.* non minori facilitate subvertitur. Non enim juri civili in decisionibus causarum feudalium aliqua tribuenda auctoritas, quoties Nomothesia feudalis contrariæ dispositioni adheret. Tertium ex *tit. 27. lib. 1. F.* allatum ideò parum efficit, quia id venditat pro vero, de quo adhuc maximum inter Dd. est dissidium. Dicit namq; Mediolanensium & Cremonensium opinionem ibidem fuisse rejectam, tum quod ea ultimo proferatur loco, tum quod in *tit. 22. § si quis fuerit 1. F.* simpliciter dicatur, citra illius consensum, cujus est beneficium, non ritè fieri investituram de ipsius feudo. Sed immò contrarium potius verum videtur, quia in conflictu duarum opinionum ea præferenda est, quæ juri cuiuslibet magis est consentanea. Talis verò est ea, quæ vasalli consensum hoc nostro in casu alienum censet, secundum *d. tit. 26. § moribus & tit. 35. F.* Nec infringit hanc responsionem, quod usitatum sit in feudorum libris reprobata opinionem plerumque posteriori loco referri, ut notat Hartm. Pist. *q. 25. n. 30. & q. 32. n. 2. lib. 2. part. 2.* Nam præterquam quod argumentum ab ordine desumptum firmo rarenter steterit, illud potius affirmandum, quod in dubio postrema approbata censeri debeat sententia, Martin. de Carat. Laudens. *ad tit. de feud. dat. in vic. leg. commiss. n. 6.* Schneidew. *ad §. 2. l. de empt. & vend. n. 14.* And. Kohl *in tract. de subfeud. cap. 2 n. 35.* & quem allegat Anton. Maria Coratius *in tract. com. opin. lib. 1. tit. 6. inspect. 6. n. 99.* Nec ad rhombum *tit. 22. 1. F.* siquidem agitur ibi de Investitura pura, quam ab hac nostra plurimum differre, ipsemet Bocerus largitur. Minus ergò ritè ab hac ad illam argumentando procedi posse, intelligere debuisset. Illa hinc ordinariâ quasi sedè videtur sibi vindicare quæstio; An conditionalis Expectativæ Investitura fieri eo tempore possit, quo vasallus possessor pro-



prolium multitudine gaudet? In diversos opinionum an-  
fractus, ex innatâ hominibus ad dissentiendum facilitate *l. 17.*  
*§. 6. de recept. qui arbitr. Dd. abire deprehendo, ut si alicubi,*  
huc certè commodè illud applicari possit Taubmannianum:

Cuiq; suum caput est, ut pileus: approbat Hermes,

Improbat Hermogenes, nec voto vivitur uno.

Sunt enim qui affirmativæ, sunt qui negativæ non dubitant  
adhærescere sententiæ. Illius And. de Ifern. *vers. hoc autem*  
*dicendum de eo milite &c Matth. de Afflict. n. 21. ad tit. de feud.*  
*dat. in vicem leg. commiss. Bar. Schenck. lib. 1. de feud. tit. 3 n. 5.*  
*Fachin. lib. 7. controvers. jur. c. 28. vers. quod attinet tertiam*  
*controversiam. Bocer. de investit. feud. c. 5. n. 17. Grav. in con-*  
*cl. ad Obj. Gail. lib. 2. obs. 55. n. 23. Gottof. Ant. disp. feud. 4. tb.*  
*5. lit. C. Hujus Hartm. Pistor. q. 29. n. 20. lib. 2. part. 2 Vult.*  
*lib. 1. c. 7. n. 49. de feud. Dn. Finckelthufium disp. feud. 7. tb. 11.*  
patronos offendo. Quorum ut castra sequar, facit sequenti-  
um rationum pondus & gravitas. Primò quidem, quia in *tit.*  
*3. 1. F. tit. 36. 2. F.* satis expressè dispositum reperitur, quod in-  
vestitura valere debeat, si collatum sit in tempus, quo vasallus  
sine liberis pallidâ morte extinctus, feudumq; ad Dominum  
jure consolidationis per aperturam devolutum fuerit. Sed in-  
vestitura fieri eo modo assolet. Ergò utiq; valebit, etiamsi vel  
maximè, ut modò dictum, possessor non consenserit. Dein-  
de, eadem in utroq; casu, quo vasallus sobolem habet & non  
habet, militat ratio, quippe utrobiq; promissio in illud tem-  
pus dirigitur, quo domino feudum fuerit apertum, *tit. 27. 2.*  
*F.* dispositio igitur ubivis eadem esse debebit. Non enim à se  
invicem separanda sunt, quæ necit paritas rationis, *l. 32. pr.*  
*ff. ad L. Aquil.* Contra dissentientium ratiunculas ut aliquid  
addam, nihil necessum est, his namq; eruditè satisfecit *Vult.*  
*& Pistor. dd. ll. 11. Acceptatio Expectatarû,* quâ sine nulla  
datio, nulla donatio efficax, *l. 10. de donat. Wesemb. in Parat.*  
*ff. de don. n. 4. Cujac. lib. 12. obs. 28. consult. 43. & 44. Treutl.*  
*vol. 2. disp. 19. tb. 1. lit. D. Hering, de fidejuss. c. 6. n. 9. 10. & 11*  
quia per hanc demum inducitur synallagma & reciproca ob-  
ligatio, *arg. l. 1. §. 1. de Verb. Obl.* Et quemadmodum ab invi-

E

10

10



to beneficium non proficiscitur, l. 18. de adimend. Et transf. legat. ita & nolenti liberalitas haud acquiritur, l. 19. §. 2. de donat. l. 69. l. 156. §. fin. de R. J. Cæterum hæc eò non pertinet, ut si officialis vel consiliarius optimè meritis beneficium aut feudum à Principe motu spontaneo oblatum, morte immaturâ præventus, acceptare supersederit, magisq; congruum tempus cum modestiâ expectare voluerit, eodem heredes ipsius jam excidisse dicendi sint, hoc prætextu, quasi illa longis obsequiis remunerationis obligatio morte soluta esse dicatur, monente Guilhelmo Anton. de Freundenberg in coroll. 2. ex jur. feud. erut. tractatui suo de Rescript. morat. annex. sect. 3.

XXX.

### *Effectus latet in mutuâ concedentis & concessionarii obligatione.*

1. Obligatio isthæc nihil aliud est, quam juris vinculum, quo concedens & concessionarius, eorumq; heredes sibi invicem ultro citroque adstringuntur. Ille quidem ad Feudum constitutionem, i. e. in possessionem realem deductionem, nec non fidei observationem, tit. 26. §. si facta tit. 6. vers. sed quia. 2. F. Hic verò ad servitorum exhibitionem pariter atq; fidelitatis præstationem, tit. 3. circ. fin. tit. 23. in fin. 2. F. Quæ quidem cum satis sint liquida, & ab interpretibus juris feudalis latius enucleata, in longiore illorum deductione lubens acquiesco; Sisto interim quæstiones aliquas maximè controversas. Quarum ex censu hæc facilè princeps: An ex investitura de Expectativa facta Dominus ad præcisam rei feudalis traditionem sit obstrictus; an verò præstâdo id, quod interest, liberetur, si quidem ipsum post existentem conditionis eventum suæ promissionis pœnituerit? Per distinctionis semitam in hoc bivio progrediendum existimo, ut si penes Dominum tradendi facultas resideat, ad hanc exerendam præcisè teneatur, tum ob textus expressos in tit. 4. 1. F. tit. 7. in fin. 2. F. tum, quia in obligationibus dandi (ad quas hanc nostram proximè accedere, ex eo manifestum evadit, quod
- 2.

in





in hac non nudum & merum factum, quod citra operam ho-  
minis & membrorum applicatione perfici non potest, quale  
illud est, ut tu mihi tabulam pingas, aut pro me Romam eas;  
sed potius tale versetur, quod ipsam rem feudalem respicit,  
adeoque in ejus etiam praestatione consistit) praecisam in ipsa  
re certa & debita praestationem sequi oportet, *l. 75. in fin. de  
Verb. Obl.* Est enim haec verissima inter obligationes dandi &  
faciendi differentia, ut in his tantum praestando interesse de-  
bitor liberari possit, *l. 13. de re jud.* In dandi autem obligatio-  
nibus praecise rei traditio exigatur, *d. l. 75. in fin. de V. O.* vid.  
Excellentiss. Dn. Praes. Exerc. Just. 11. q. 2. in Neg. Bachov. in  
not. ad Treutl. diff. 28. tb. 2. vol. 1. & in Exercit. cont. Fab. err.  
4. decad. 85. Quod si tradendi facultatem amiserit, praecise  
ad traditionem rei non urgeri, sed solvendo id, quod interest,  
se ab obligationis nexu eximere poterit, *arg. l. 1. in pr. l. 11.  
§. 9. de act. empt.* add. Hartm. Pistor. d. q. 25. n. 22. Modest.  
Pistor. consil. 6. quest. 2. n. 24. Jacobut, de Franchis ad tit. si de  
investit. controv. n. 5. Matth. de Afflict. And. de Ifern. Alve-  
rott. ad eund. tit. §. si facta. Diss. Berlich. part. 2. praet. conclus.  
54. n. 55. & Rosenthal de feud. cap. 6. concl. 6. n. 8. Praeterea  
si dominus ex procacia quaedam prudens neget moram, ami-  
caque aliquoties interpellatione facta feudum tradere superse-  
deat, aequitati consentaneum autumarem, ut ad rei, quam  
tradere potest, praestationem, pariter atque interesse solutione  
condemnetur, per *tit. 7. §. investitura vero. 2. F.* Succedit alia  
anceps disquisitio: An si is, cui expectativa promissa est, do-  
mini cunctabundi introductionem expectare nolit, propria  
autoritate possessionem rei vacante apprehendere queat? In  
negativam descendo. Si enim creditori, ne quidem in casu  
ubi pactum accessit, propria autoritate pignoris apprehensio  
est concessa, per *l. 3. C. de pignor. ibidemque* Bachov. in tract. de  
pign. & hypoth. lib. 3. c. 21. per tot. multo minus Expectatario  
hoc licere, dicendum est. Accedit, quod iniquum sit, & ple-  
num animadversione iudicii, si quis in re sua iudex existat, *l.  
17. de judic.* aut sibi in re propria sententiae licentiam tribuat,  
*rubr. & tot. tit. C. ne quis in sua caus. jud.* Idcirco namque judi-





ciorum vigor, jurisq; publici tutela in medio constituta videtur, ut quis, quod suum est, aut deberi sibi putat, non nisi per judicem reposcat, *l. 13. quod met. caus.* neq; enim singulis est concedendum, quod per magistratum fieri oportet, *l. 176. de R. 7.* & vitanda sunt omnia, quæ turbis ac concertationibus ansam præbere possunt. Coler. *part. 1. decis. 93. n. 1.* Magnif. Dn. Præcept. p. m. Arum. *disp. feud. 5. q. 8.* diss. Hartm. Pist. *d. 9. 25. n. 26.* Schrad. *de feu. p. 5. c. 2. n. 16.* Berlich. *part. 2. conclus. præf. 54. n. 57.* Hanneon. *de jur. feud. lib. 1. c. 7.* Absteramé, ut apprehendendæ possessionis licentiam moribus Saxonum tributam fuisse negem illi, qui de Expectativâ fuit investitus. Expressè enim *c. 7. LehnR.* habetur: das Gut/ daß den erst ledig wird/ daß sol sich der Mann unterwinden/ es sey gleich mehr oder minder/ denn ihm geliehen ist/ biß daß er seiner Lehnung die Fülle habe. & *c. 10.* wenn der Herr sich aber wegerte solch Gut anzuweisen/ der Man unterwind sich anderswo solchs Guts/ als ihm der Herr geliehen hat/ ohne Anweisung. Similiter *c. 75.* unterwindet sichs auch jener/ dem ein Anwartsung oder ein Beding darvon geliehen ist/ ehe denn der Herr/ ermisset hat daran nicht. Superiori affinitate junctum est hoc quaesitum: An si tradita quidem sit possessio, per sententiam tamen judicis iterum ablata, evictionis nomine Dominus possit conveniri? Hic iterum distinctè est procedendum. Aut enim Expectatarius feudum prorsus alienum in Expectativâ accepit sciens, aut v. ignorans. Priori casu periculû evictionis Dominus evitabit, nisi ad illud pacto speciali semet obstrinxerit, *tit. 8. in pr. 2. Et ibidemq; Baro Schenck & Andr. de Ifern. n. 1. l. 23. C. de evict.* add. Rosenthal. *lib. 1. c. 8. conclus. 30. n. 1. de feud.* & Joan Blanch. *epit. feud. lib. 1. c. 3. n. 52.* Posteriori haud immunis evadet, sive ipse sciens sive ignorans rem alienam in feudum dederit, *per tit. mod. alleg. & c. 33. LehnR.* was ein Herr einem Mann leihet/ von guten Willen/ daß er ihm nicht gewähren mag/ daß sol er ihm erstatten. *add. c. 7. & c. 11. LehnR.* & Rosenthal. *d. c. 8. conclus. 29. n. 8.* dummodò Expectatarius Dominum ut autorem suum pendente judicio, nec dum ad finem perducto laudaverit, & litem ipsi denunci-

cia;



ciaverit, tit. 5. 2. F. & ibi Baro Schenck. quanquam & hæc  
denunciandi necessitas, in casu ubi pacto fuit remissa, merito  
pro supervacanea habeatur l. 63. de evict. Remittentibus enim  
jura sua, non est dandus regressus arg. l. 14. §. 9. de adilit. edict.  
Schneidew. epit. feud. part. 4. n. 70. quem ideo præ reliquis ci-  
tandum duxi, quoniam ibid. à n. 68. usq; 72. cum Rosenthalio  
d. concl. 30. & 31. notabiles ponit casus, quibus Dominus ab  
evictionis præstatione relevatur, inter quos & istum offen-  
des; si nim. Dominus rem in feudum concedat salvo jure  
aliorum, hæc formula: **Wir verleihen ihm das Gut/so viel wir  
durch Recht daran zu verleihen haben/** add. Borcholt. c. 9. n. 16.  
de feud. Commodum nunc se ingerit salebrosa illa, multisq;  
Dd. disceptationibus nobilitata controversia: Uternam po-  
tior habendus in casu, ubi duo de feudo vasalli adhuc viven-  
tis in casum mortis sunt investiti? Placet priori jus prælatio-  
nis deferre, ubi possessio in neutrum translata, siquidem am-  
bo de certo vel incerto feudo generaliter fuerunt investiti  
arg. tit. 26. §. 5. vers. si facta 2. F. & c. 39. **Lehn R. Leihet ein Herr  
zweyen Mannen oder dreyen ein Gut/wo es ihm vom ersten le-  
dig wird/der do vom ersten belehnet wird/der soll auch des erste  
Gutes warten/das ihm ledig wird/** vid. Excell. Dn. Præcept.  
Reusner. disp. feud. 5. tb. 45. aliàs, si alter in specie de certo feu-  
do, alter generaliter de incerto investiti, potior erit causâ ejus,  
qui speciali nititur investiturâ, secundum ea, quæ expressa dis-  
posita reperiuntur in c. 7. **Lehn R. Welcher Herr ein Gut leihet  
einem seiner Mann/wo es ihm erst ledig wird/ es sey wenig  
oder viel/vnd darnach einem andern leihet/sonst an einem Lehn/  
ein benandt Beding/mit dem irren Lehn/mag jener diesem sein  
benohme Beding nicht brechen/wann jener stirbt/der das Lehn  
in gewehren hat.** additur tamen mox ibidem hæc limitatio,  
nisi Expectativa periculi vel mortis metu facta fuerit, hoc  
pacto, ut illis evitatis, concessio sit irrita, es sey dann/ daß man  
das Bedinge flüchtiglich leihet/ bey jenes Stechbette/ der es in  
gewehren hat/ add. c. 58. **Lehn R. & prælaud. Excell. Dn. Præ-  
cept. Reusn. d. disp. feud. 5. tb. 54.** Cæterum ubi possessio se-  
cundo tradita fuit, prærogativa primus non gaudebit arg. l. 6.

E 3 in



*in fin. C. si quis alt. vel sibi emer.* Quamvis enim secundus hic respectu investituræ verbalis sit posterior, prior tamen respectu ipsius juris realis, quod per possessionis traditionem acquisivit. Pariter itaq; atq; in emptione venditione secundus emptor, cui res tradita est, priori antepositur *l. 15. C. de rei vindic.* ita etiam hic, qui traditione jus reale in feudo nactus est, illi, qui solâ gaudet verbali investiturâ & jure ad rem, præferendus venit. Nec immeritò. Posterior enim duplici vinculo feudum tenet, vinculo scilicet investituræ & vinculo traditionis. Duo autem vincula fortius uno ligant *arg. §. 2. l. de Adopt.* Vid. And. de Isern. *tit. qui success. teneant. vers. hoc intelligendum n. 5. & 6. tit. si de feud. defunct. controv. §. si facta. n. 2.* Jacob. de Belviso. *ibid. Hanneton. lib. 1. feud. c. 7.* Jacobin. de S. Georg. *in verb. Investivi talem. Schrad. part. 5. c. 2. n. 19* Carpzov. *part. 2. Const. Elect. 45. defn. 4.* Hartm. Pistor. *quæst. jur. 29. n. 11. & seqq. part. 2. lib. 2.* qui diversum obtinere contendit in casu, ubi alter simultaneam investituram impetravit, alter verò deinde vivente possessore in casum mortis ejus investitus, possessionem eo defuncto fuit adeptus *n. 35. & seqq.* ad quem brevitatis studio me remisisse sufficiat. Idem circa propositam à me quæstionem jure Sax. observari evincit *c. 37. LehnR. ibi: Wer die rechte gewehr an einem Gut hat / der soll es mit mehrern Rechten behalten / dann jener / der der rechten Gewehr darbet.* Cui non refragantur verba text. *in c. 11. & d. c. 7. LehnR. ubi dicitur: Wo zween Mann ein Gut ansprechen / die da beyde der Gewehr darben / beyde sollen sie nennen die Zeit der Belehnung / vnd welcher da die erste Belehnung bezeugen mag / der soll das Gut mit Recht behalten: siquidem loquuntur de duobus investitis de eodem feudo, quorum neuter ejus possessionem est adeptus, sed quilibet eorum immissionem vigore investituræ impetrata petit, quo casu is, qui prior investitus fuit, potior esse solet. vid. Zobel. *in gloss. ad c. 7. lit. E. in verb. Wo zweene Mann etc.* Alias parum referre arbitror, an investiens simpliciter secundo possessionem tradiderit, an verò hâc adjectâ protestatione, ut primo jus salvum maneat. Quandoquidem protestatio isthæc nullam actionem tribuit pri-*



primo adversus secundum, non personalem, quoniam cum ipso non contraxit, non etiam realem, quia jus in re non habet. vid. And. de Ifern. in d. tit. si de feud. def. contrav. fu. §. si facta. n. 3. & ibid. Alvarott. n. 9. Rosenthal. c. 6. concl. 9. n. 11. & seq. Vult. c. 10. n. 11. de feud. Zaf. part. 6. n. 13. Borch. c. 7. memb. 1. n. 16. Schrad. d. c. 5. part. 2. n. 19. ubi varias hanc in rem profert ampliaciones, dicitans insuper prædicta etiam in Principe procedere, quoniam & is in dubio ad juris communis regulas conformasse animum præsumatur l. 43. de pupill. subst. urges disputare de principis potestate sacrilegium esse l. 3. C. de Const. Princ. respondeo, ipsum non de Principis potestate, sed voluntate potius differere. Neque enim sufficit potestatem habere principem, ut sine traditione possessionem transferre in investitutum possit, verum requiritur etiam, ut animi sui sententiam desuper verbis perspicuis declaret, cum ad quemvis actum non solum potentiâ, sed vel maximè voluntate opus sit arg. c. cum super 23. de off. & potest. jud. deleg. & juxta versiculum.

Cunctas res faciunt dno, velle, potestas,

Si conjungantur, disjuncta nil operantur.

fusè de hac quæstione aliàs agit Hartman. Pist. d. 9. n. 20. & seqq. ubi & ad contraria eleganter respondet. add. Jacobin. de S. Georg. ir. feud. vers. an Princeps 52. n. 17. Rosenthal. d. c. 6. concl. 6. n. 9. & plures ab eo allegat. Diss. Roman. conf. 298. Pertinet huc quoque illa accuratiore indagine non indigna disceptatio: An obligatio feudalis, ab utriusque tam investientis, quàm investiti parte sit in heredes transitoria? A jentium opinio album meretur calculum. Dominus enim & vasallus pari jure judicantur, & statutum in uno porrigitur ad alterum arg. tit. 6. §. 26. §. Domino 2. F. Sed obligatio à parte domini transit passivè tit. 9. 1. F. ibi: investitoris heredes tenentur, & tit. 26. §. moribus ibi: domino aut heredi tit. 58. §. item sciendum 2. F. ibi: item heredes. Ergò à parte investiti activè arg. §. 4. in fin. l. de Verb. Obl. l. 59. D. eod. tit. 18. 2. F. in verb. unusquisq; sibi suisq; heredibus videtur prospexisse. Et hæc procedere Dd. prohibent, etiamsi investiens ejusmodi verbis usus fuisset; si feudum

8.

9.

10.

16



dum *mibi vel nobis* apertum fuerit, wann es sich vns verledigen  
wird/post mortem autem demum aperiatur. Dicitio enim  
*mibi vel nobis* hujus efficaciam non est, ut propterea obligatio  
ad heredes pertinere non debeat, cum etiam stipulatio, quae  
tamen stricti est juris, non videatur coarctata ad personam  
stipulatoris vel promissoris, etiam si vel maxime nullam heredum  
mentionem factam, dicitio *mibi* adposita fuerit, juxta l. 38. §. 5. de  
Verb. Obl. Heres quippe tantam cum contrahente similitudi-  
nem habet, ut juris fictione, eadem cum ipso persona esse  
censeatur Nov. 48. in pr. cui optimè convenit, quod ab Imp.  
in l. 13. in pr. & l. 15. C. de contrab. & committ. stipul. exprimi-  
tur: Cur quod in principalibus personis justum est, non ad  
heredes & adversus eos transmittatur, sive specialis heredum  
mentio fiat, sive non? & ita sentiunt Rosenthal. d. c. 6. concl. 15.  
n. 5. And. Scheffer. p. 1. quest. pract. 49. Grav. in concl. ad obs.  
Gail. lib. 2. concl. 55. n. 17. Borcholt. d. c. 7. memb. 1. n. 22. Vult.  
lib. 1. c. 10. n. 12. in fin. Hartm. Pistor. quest. 26. n. 12. & 13. ubi in  
hoc puncto jus Sax. recedere statuit ex c. 11. Lehn R. ibi: **Welch  
Gut ein Mann in seinen gewehren nicht hat/ vnd ihm nicht an-  
geweist ist/ dem mag er nicht folgen an einem andern Herrn/ ob  
der erste stirbt/ noch auch geerben an seinem Sohn/ & c. 59. Alle  
Lehn/ ohn Gewehr/ darben der Folge.** Verum hanc dispositio-  
nem usu receptam non esse, sed semper secundum juris com-  
munis regulas fuisse judicatum idem n. 17. ibidem annectit.  
Imò disertè ab ea, tanquam duriore recessit Illustrissimus  
Princeps Elector August. Const. Nov. 45. p. 2. ubi Moller. n. 2.  
& seqq. Carpzov. defin. 5. n. 6. & seqq. At, quid dicendum, ubi  
investitura tali conceptione verborum facta est: *Sime vivo  
aperiatur, Wo es sich bey meinem Leben erledigen wird?* Vocu-  
lam hanc tutum praebere succedentibus receptaculum & ne-  
gationis causam, sententia æquior est. Siquidem conditio  
Investiturae inserta tam arctis finibus est circumscripta, ut so-  
lam solius personae viventis vitam, non verò mortem con-  
cernat, proindeque ad heredes ejus pertinere non poterit.  
Deficiente itaq; conditione, ipsa deficiat obligatio necesse est  
l. 36. de reb. credit. Rosenthal. d. loc. n. 3. Schrad. de feud. part. 3.



c. 2. n. 27. At qui hæc in òni herede vera sũt, etiã in herede cleri-  
ci, qui clerico ut heres succedit, modò feudũ illud quod possi-  
det, & apertũ iri sperat, sit patrimoniale, *tit. 35. 2. F. ibidẽq; Ba-  
ro Schenck. & And. de Ifern. n. 1. Joan. Blanch. epit. feud. lib. 1.  
c. 4. n. 2. Græv. d. l. n. 21. At v. si investituram fecerit Episcopus,  
Abbas vel alius clericus de feudo Ecclesiastico nondum aper-  
to, & præmoriatur antequam conditio vel tempus existat,  
successores ejus clerici, qui in dignitate illã ecclesiasticã suc-  
cedunt, ratam habere investituram non tenentur, si postea  
conditio vel dies eveniat, per *tit. 3. tit. 9. vers. hac ita est. tit. 25.  
vers. si dominus 1. F. tit. 26. §. moribus. vers. secus est in Ecclesia-  
sticis. & tit. 35. 2. F.* Ratio diversitatis non tam in qualitate  
personarum, quam in qualitate successionum latitare vide-  
tur. Clerici enim vel jure postulationis, vel suffragio electio-  
nis succedunt, *c. Apostolica 8. q. 1. c. 1. extr. de Præbend. c. 2. de  
concess. præb. c. 1. extr. de elect.* & Præsides seu Præsules Eccle-  
siarum præsentium tantũ rerum, non autem post mortem  
suam gerendarum administratores perhibentur, *c. fin. 12. q. 1.  
c. 2. extr. de donat.* adeoq; in tempus, quo ipsi nullam potesta-  
tem sunt habituri, disponere non possunt, *arg. c. presentis 3. de  
off. legat. in 6. Laudens. ad tit. qui success. feud. dar. ten. n. 2.  
Rosenthal d. c. 6. concl. 16. n. 1. & seqq. Hartm. Pistor. quasi.  
jur. 27. n. 2. & 3. lib. 2. part. 2. Vult. lib. 1. c. 10. n. 16. de feud. Jaco-  
cobut. de Franchis in tit. qui success. feud. dar. tit. 3. n. 6. & seqq.  
And. de Ifern. ad id. cap. n. 2. Gottofred. Anton. disp. feud. 7.  
th. 1. lit. E.* Laici verò jure successionis, ideoq; non possunt  
venire contra factum defuncti. Cur enim heres recusaret id,  
quod recusare non potuit is, cujus hereditatem suscepit, ut  
ratiocinatur *Jctus in l. 44. ad Sc. Trebell. vid. Magnific. Dn.  
Finckelthuf. disp. feud. 7. th. 12. Nicol. Everhard. Jun. consil. 1.  
n. 15. vol. 1.* ex quibus duas notabiles in primis limitationes ad-  
dere placet. I. sit, si investitura capituli consensu sit facta, *arg.  
c. 2. junct. c. 7. extr. de donat.* Contractus enim hic capituli cõ-  
sensu celebratus efficitur realis, & successorem obstrictum  
tenet, cum Ecclesia representata per capitulum in perpetuũ  
vivere intelligatur, *c. gratiosè 8. vers. secus autem de Rescript.**

12.

13.

14.

F in

16



- in 6. add. Hartm. Pistor. d. q. 27. n. 16. Borcholt. c. 7. memb. 1. n. 20. Rosenthal d. concl. 16. n. 7. Gothofred. Ant. d. l. Carp-  
15. zov. part. 2. const. El. 45. n. 7. diss. Fach. 7. controv. 29. II. Si investitus de feudo viventis consensu possessoris vasalli in feudi possessionem missus fuerit, tit. 3. 1. F. Borch. de feud. d. n. 20. Schrad. tr. feud. part. 3. c. 2. n. 34. & seq. Rosenthal d. concl. 16. n. 9. & seqq. Quomodo autem ejusmodi missio in possessionem fieri possit, & quid operetur, tradit Hartm. Pistor. d. q. 27. à n. 41. usq. ad fin. And. de Ifern. tit. qui success. feud. dar. ten. n. 3. & seqq. Plures limitationes ad negotium præsens pertinentes disce ex Schradero d. loc. & supra citatis Dd.  
16. Ceterum & illud quod de Laicis supra dictum, notabiliter limitari debet in Imperatore. Siquidem & is Imperium jure hereditario non consequitur, sed Electorum suffragiis ad eju[m] majestatem evehitur. Quapropter rationibus jam in medium allatis, si ipse feuda Imperii nondum aperta alteri concedere possit, eaque illo mortuo demum ad imperium pleno jure reverterentur, successor in Imperio hanc investituram ratam & gratam habere non cogeretur. And. de Ifern. d. tit. qui success. feud. dar. ten. n. 18. & ad eundem Matth. de Afflict. n. 30. & seq. Schrad. d. c. 2. n. 2.

XXXI.

### *Dissolutio indicat Expectativarum amissionem, seu quomodo finiantur & extinguantur.*

- Expectativa legitimè constitutæ hisce potissimum modis expirant. I. Si is, cui Expectativa est promissa, der auff ein Lehn verantwert ist/ Feloniam committat: Quia promissio fuit facta ob certam causam, videlicet propter fidelitatem, quæ causa in casu commissæ feloniz cum cesset, merito et ipsa promissio evanescit, sive tanquam causa non subsequuta, sive tanquam reducta ad non causam, arg. l. 1. de condit. fin. caus. l. fin. de condit. ob caus. Rosenthal c. 10. concl. 2. n. 8. And. de Ifern. in c. Imperialem §. insuper si filius de prohibita feudi alien. per Frider. §. 8. Matth. de Afflict. n. 13. & 14. Schrad. tr. feud. part.



part. 9. princip. part. 2. sect. 6. n. 9. & 10. 9. 12. & 13. Jacobin.  
de S. Georg. in tract. feud. verb. dictiq; vasalli permiserunt & c.  
n. 57. II. Si concedens vel concessionarius extrema morta-  
litas fata patiat, & nemo supersit alius, cui jus in feudo  
succeedendi competat, tit. 13. 1. F. tit. 9. 2. F. ibiq; Dd. Notan-  
ter utor verbo *succeedendi*. Si namq; non per viam successio-  
nis, sed consolidationis jure feudum illud, in quo Expectati-  
va concessa, ad superiorem fuerit delatum, resoluta jure da-  
toris, extingui quoq; jus acceptoris necesse est, arg. l. 31. de  
pign. Schrad. dict. part. 3. c. 3. n. 26. Prajudicium si expetis, a-  
di Dn. Carpz. & invenies part. 2. Const. El. 45. ad fin. defn. 8.  
III. Si res in Expectativam concessa intereat, arg. §. fin. I. de  
usufruct. l. 1. C. de jur. Emphyteut. Dominus enim respectu rei  
obligatur, extincta igitur re, obligatio quoque extinguitur,  
arg. l. 178. de R. J. Vult. lib. 1. de feud. c. 11. n. 5. Hattysen. in A-  
nalyf. feud. jur. c. 11. lit. e. IV. Si Expectatarius habitum reli-  
gionis assumpserit, tit. 26. §. qui clericus. tit. 109. 2. F. desinit  
enim miles seculi, qui factus est miles Christi, tit. 21. 2. F. V.  
Si possessor vasallus liberos procreet. Deficit enim hic dispo-  
sitionis, si vasallus rebus humanis sine masculis exi-  
meretur. Deficiente autem dispositionis conditione, etiam  
ipsa dispositio deficit, l. 8. de peric. & comm. rei vend. & sub  
conditione datum, sub contraria dispositione denegatum  
censetur, l. 40. §. 2. l. 107. de condit. & demonstr. quo respicit  
textus Jur. Sax. c. 20. in pr. LehnR. Wenn der Sohn nach des  
Waters Tode lebet also lang / daß man seine Stimm gehören  
mag in den vier Wänden des Hauses / so ist er beerbet mit seines  
Waters Lehn / vnd hat es entführt allen denen / die Bedinge da-  
ran hetten. Hartm. Pift. 9. 25. n. 15. lib. 2. part. 2. Berlich. pract.  
concl. 54. n. 45. part. 2. Limita hoc I. nisi liberi parentem  
morte anticipent, juxta citat. c. 20. LehnR. ibi: Der Sohn /  
der eher denn der Vater stirbt / der ist kein Lehnserbe / denn er  
mit dem Lehn nicht beerbet ist / darumb so bricht er niemand sein  
Beding an des Waters Lehn. & c. 72. Der Sohn entführt  
auch also niemand kein Beding / er werde denn lebendig gebob-

§ 2 ren/

2.

3.

4.

5.

6.



- ren/ vnd lebe biß nach des Waters Todt. Schrad. tractat. feud. part. 3. c. 2. n. 20. & 31. Vult. lib. 1. c. 7. n. 50. Berlich. d. concl. n. 43. & Hartm. Pistor. d. q. 25. n. 17. Coler. decis. 88. n. 5. vers. secus si nasceretur, part. 1. Hunn. tract. feud. c. 11. quest. Quid juris si liberirursus decesserint, p. 298. Bocer. tract. de Investit. feud. c. 5. n. 19. II. nisi promissio in eum directa sit casum, quo quodocumque vasallus sine liberis mortem obierit, h. e. ut nulli amplius liberi supersint, sive illi patrem, sive turbato mortalitatis ordine pater illos morte antevertat. Hic non in defectum & mortem soliq. possessoris vasalli, sed etiam liberorum simul concepta est conditio, vid. Berlich. d. loc. n. 44. Vult. d. n. 50. Hartm. Pistor. q. 25. n. 15. III. nisi superstites relinquat liberos. qui feudi incapaces existunt, arg. tit. 26. 2. F. Mens enim contrahentium necessario ita interpretanda, ne actus pereat, l. 309. de legat. 1. Gottofred. Anton. disp. feud. 4. tb. 5. lit. C. Sed quid dicendum sit, ubi possessor quidem sine liberis decessit, uxorem tamen reliquit, pregnantem, consule Excellent. Dn. Præcept. Jerem. Reusner. disput. feud. 5. tb. 52. Dn. Vult. d. c. 7. n. 53. & text. c. 72. LehnR. ibi: **Stärbe ein Mann/ dieweil sein Weib ein Kind trägt/ vnd ist das Beding an seinem Gut verlihen/ sener/ dem das Beding geliehen ist daran/ der sol sitzen bleiben// mit dem Gut/ biß an die Zeit/ da das Weib einen Sohn gewinne.** VI. Si vasallus possessor feudum alienet, & in alium transferat. Quod quin facere possit, si consensus Domini accesserit, vel investitura cum pacto de alienando facta fuerit, hæsilitatio planè est nulla, per tit. 27. 1. F. ubi dicitur, quod conditionalis hæc investitura nullum debeat possessori afferre præjudicium, cum quo consentit Jus Sax. c. 5. LehnR. ibi: **Löset auch sener das Gut der es in Gewehren hat/ auff/ das Bedinge daran ist gebrochen. Item c. 57. in fin. War es aber gelassen bey seines Leben/ der es in Gewehren hat/ vnd war es recht vnd redlich an jenem bewieset/ dem es der Herr liehe/ oder hat er es von ihme empfangen/ so ist alles Bedinge gebrochen/ das der erste Herr geliehen hatte/ an dem Gute.** vid. Hartm. Pistor. quest. 28.



28. n. 7. lib. 2. part. 2. Berlich. d. concl. 54. n. 60. Notanda ta-  
men & hinc limitatio, nisi possessor, qui feudum alienavit, e-  
jus possessionem iterum nactus fuerit, & postmodum fatis  
concesserit, per d. c. 5. Lehnd. Es sey dann/ daß er es wieder  
empfahe/ der es auffgelassen hat/ vnd daran ersterbe. Cautè  
igitur procedant ii, quibus enixa Expectativas impetrandi  
stat voluntas, ut super concessionibus ejusmodi consensum  
possessoris implorent, si feudo postmodum aperto cum fru-  
ctu potiri, eoq; non penitus defraudari cupiant. Quod si ta-  
men hoc facere neglexerint, regressum nihilominus habe-  
bunt contra dominum, ut id, quod interest, præstet, propte-  
reà, quod alienationi consensit. Quotiescunq; enim stat  
per eum, cujus interest conditionem non impleri, quominus  
ea impleatur, pro impleta habetur, l. 24. de condit. & de-  
monstr. l. 121. de R. J. c. cum non stat 65. de R. J. in 6. VII. E-  
vanescit Expectativa sub conditione solius mortis posses-  
soris collata, si aliam ob causam, puta feloniam, feudum ad  
dominum devolvatur. Carpzov. part. 2. Const. El. 45. defn. 3.  
Conditio enim adimpleri debet in forma specifica, l. 44. §. 3.  
de condit. & demonstr. non autem complementum in ejusmo-  
di forma sortiretur, si feudum ex aliâ, quam mortis causâ  
ad dominum reverteretur, siquidem, ut modò dictum, con-  
ditio in mortis tempus præcisè directâ fuit, hisce verbis: In-  
vestio Te de feudo Titii, si illud per mortem ipsius ad me de-  
volutum fuerit. Wann es mir durch Titii tödelichen Abgang  
erlediget vnd eröffnet wird. And. de Ifern. in c. §. moribus. n.  
2. si de feud. defunct. Schrad. d. p. 3. c. 2. n. 50. Berlich. d. con-  
cl. 54. n. 61. Hartm. Pistor. d. 9. 25. n. fin. lib. 2. part. 2. Secus  
se res habet, si concessionis tenor cujuscunq; aperturæ ca-  
sum comprehendat, ut si hisce formalibus Expectativa  
sic concessa: Ich leihe dir das Lehngut/ wann es mir ledig  
beimfallen wird. Videtur enim dominus indefinitâ hâc lo-  
cutione omnes apertionis causas complexus esse, & de omni  
jure, quod morte aut delicto vasalli habiturus sit, sensisse,

F 3 Matth.

10.

11.

12.

13.

16



- Matth. Coler. *consil. 16. n. 6. vers. & in secundis literis & n. seq. & n. 10. vol. 1.* Berlich. *d. l. n. 62.* Rosenthal *c. 6. conclus. 18. n. 8.* Idem esto de hoc casu iudicium, ubi concedens dixit:
14. Post mortem Titii sine masculâ prole denati, Mævio fundum Tusculanum in feudum dare promitto. Non enim hic Dominus promisit sub conditione, si contingat morte Titii aperi-ri, nec solum jus, quod dominus ob mortem Titii consecutus sit, sed simpliciter hunc fundum in feudum, licet de-  
mum post mortem Titii concessit. Rosenthal *d. l. n. 1.* Et ut  
15. summatim dicam, mens contrahentium ante omnia diligen-ter indaganda, & concessionis verba exactè inspicienda, ut si conditio aut modus non ad apertionem feudi, sed solum vasalli personam se referat, v. g. promitto Tibi, si vel quan-  
do Titius vasallus sine filiis diem clauserit, videatur sufficere  
conditionem illam existere, etiam si feudum alio modo fue-  
rit apertum. Vult. *lib. 1. de feud. c. 7. n. 52.* Sin verò conditio  
aut modus apertionem feudi respiciat, e. g. Dabo Tibi feu-  
dum, si vel quando morte Titii aperiatur, vel dabo morte e-  
jus aperiendum, aliâ ratione apertum feudum ad Expectata-  
tium pertinere nō possit, Vult. *d. l.* Rosenthal *d. concl. 18. n. 8.*  
16. VIII. Si investiens ante conditionis eventum, de crimine  
aliquo condemnatus fuerit, atq; eam ob causam bona sua  
fisco applicata. Cum namq; ex investitura verbali fisco non  
obligetur, secundum ea, quæ tradunt And. de Ifern. *n. 18.* &  
Matth. de Afflict. *n. 91. tit. qui success. feud. dar. ten.* Schrad. *d.*  
*part. 3. c. 2. n. 26.* Rosenthal *de feud. c. 6. conclus. 17. n. 8. & seqq.*  
omnemq; actionem investientis inopia inanem efficiat, juxta  
*l. 6. de dol. mal.* Expectativam de vento servire, in propatulo  
est. Plures Expectativam dissolvendi modos huc congerere  
chartæ prohibet angustia. Quapropter cum seriâ Triunius  
DE I collaudatione de tabulâ manum positurus, claudio dis-  
sertationis meæ rivalos hemistichio illo modestiæ pleno,  
*cedam meliora docenti.*



EXIMIO DN. AYRERO,  
Disputationis Autori, LL.

Candidato dudum meritissimo,  
amico suo pl. æstimando,  
S. P.

**Q**ua nunc de Feudis compingis pollice docto  
Puncta, puto, ferent omnia puncta Virum.  
Quem Te, Ayrere, vocem? Gallinae filius alba es!  
Te Themis esse suum, Te Venus alma cupit.  
Quid precer? ut possim exclamo! Feudum Tibi cedat  
Doctore Themis, Famineumq; Venus.

Deproperabat boni omni-  
nis ergò  
Godfried Fiebig D.

---

**A**mbulat in pari cum consuetudine longa  
Lex passu, interpres legis est illa bona:  
Hinc Ayrere Tibi parvo discrimine distat  
Leges vel docto Feuda docere stylo.  
Jam tamen ex Feudis placet haud vulgare, sed id quod  
quarendo assiduum postulat ingenium.  
Hoc quia nunc tractas iuvat, expectasse iuvabit  
Immò Te quondam Feuda parata Tibi.  
Nec tamen una solum Te expectativa beabit,  
Insuper expectat Te quoque Diva Themis.  
Hec supposebat Contubernali  
suo dilectissimo,  
Sigismundus Sigfrid Reichhelm,

Rem,



**R**em, sanè, præstas summorum laude  
Virorum,  
dignam, dum fructus colligis ex stu-  
diis.

Eja age, cœpisti, quo, curras, tramite:  
namque  
non nisi laus multo parta labore ve-  
nit.

Tenatum facili, testatur summa, Miner-  
vâ,  
Ingenii dotes, quæ potiora dabit.

*Hac  
Eximio Dn. Ayvero, Amico & Com-  
mensali suo honoratissimo  
adposuit*


**Godofredus Scheffer/  
Gorlitius.**

**F I N I S,**











ULB Halle 3  
005 132 630




VDA7











ite! *F. O. num. 22.*

ONEM

AM

*1639, 12<sup>a</sup>*

CATI.

*17*

DO.

*issis*  
um Ordinis in  
ademiâ,

*Excellentissimo*  
GEPUR,

no, Consiliario  
dicæ Seniore meritis  
s Assessore gravis  
e suo omni hono  
sequendo,

*de submittes*  
r/ Dresdâ-Misnicus

iml  
XXIX.

STOPH. WEISNER



*16*

